A

E. S.

SYLLOGE
OPUSCULORUM SELECTORUM

AD PRAXIM PRAECIPUE MEDICAM SPECTANTIUM

In Auditorum commodum collegit, annotationibus hinc inde auxit, & recudi curavit

VALERIANUS ALOYSIUS BRERA M. D.

Medicinae Profess., Cohortis Urbanae Ticinen. Medicus, Academ. Caesareo-Regiae Medico-Chirurgicae Iosephinae Vindobonensis, R. I. Scientiar., & Literar. Mantuanae, Medico-Chirurgico-Pharmaceuticae Bruxellensis, Georgophilorum Florentinae, Societat. Medicae Delawarensis, Medico-Chirurgicae Helveticae, R. Scientiarum, Artis Obstetric. Amantium, & Physicae Goettingens., Naturae Scrutator. Berolinens., & Ienens., Medicinae Parisiens., & Sydenhamianae Halensis. Sodalis.

VOL. IV.

TICINI REGII MDCCIC.

APUD HAEREDES PETRI GALEATII.

- *Praesid. Rei Liter. Permitt.*

MATTHAEO . I. I. MEDERER

DE . WUTHWEHR

ANTEA

IN . CAESAREO-REGIA . UNIVERSITATE . FRIBURGENSI

MEDICINAE . ET . CHIRURGIAE

PROFESSORI

NUNC

POTENTISSIMI . ATQUE . AUGUSTISSIMI

FRANCISCI . II

IMPERATORIS . REGIS . ETC. ETC. ETC.

A . CONSILIIS . AULICIS

CASTRENSIUM . NEC . NON . MILITARIUM

PER . UNIVERSAS . AUSTRIAE . DITIONES

PROTO-MEDICO . ET . INSPECTORI

PLURIUM . ACADEMIARUM . SCIENTIARUM

SOCIETATUMQUE . LITERATORUM

SODALI . ETC. ETC.

VIRO

INGENIO . AMPLISSIMO

SCRIPTIS . PRAECLARISSIMO

ARTIS . MEDICAE . BENE . MERENTI

V. A. BRERA

QUARTUM . SYLLOGES . VOLUMEN

RELIGIOSO . MENTIS . CULTU

D. D. D.

OPUSCULUM I.

DE ASCARIDIBUS PER URINAM EMISSIS

ADIUNCTA COMMENTATIONE

DE VERMIUM INTESTINALIUM GENERATIONE

AUCTORE

IO. AUGUST. CHRISTIANO KÜHN

MEDICO ISENACENSI.

PROOEMIUM.

Quamvis nostris temporibus multo maior opera in medicina amplificanda perficiendaque collocetur, & multis rebus, quae antea obscurae & minus utiles viderentur, nova lux allata esse perhibeatur; tamen hoc negari non potest, medicum sollertem in quavis scientiae medicinalis parte vel dubia, vel difficultates offendere, in quibus illustrandis & expediendis multa supersunt, quae posterorum diligentia certiora fieri possint. Fieri igitur potest, ut, dum optimam viam secutus sibi

aliquis esse videatur, fortuita & inopinata impedimenta eum admoneant, maiori cura & diligentia opus esse, notionesque, quas de rebus quibusdam conceperat, deserendas. Quisque praeconceptam opinionem argumentis confirmare contendit, sed ecquis est, qui nesciat, eandem aliis rationibus, iisque probabilioribus oppugnari posse. Multi sententias novas avide arripiunt & amplectuntur, in hypothesium numerum referendas, iisdemque firmiter adhaerent, usque dum ab aliis de contrario coarguantur. Sunt ergo observationes diligenter institutae ac repetitae solae dignae, quibus opiniones veteres confirmentur, novae stabiliantur, omniumque observationum eae optimae habendae videantur, quibus hypotheses receptae fugantur. Sed ubi, his deficientibus, vera natura rei cuiusdam nondum patefacta vel notio informata est, nihil restat, nisi hoc, ut ad hypotheses confugias, eaque via aliquam cogitandi materiam invenias. Quod si per experientiam res aliqua nondum explorata est, vel ad liquidum perducta, hypothesi iure nostro utemur.

Variae opiniones *de origine vermium intestinalium* huc usque obtinuerunt. Alii, duce experientia, alii hypothesium ope, eam voluerunt comprobare. Quod dum facerent, multis erroribus & multo maioribus tenebris

se implicuerunt, adeo, ut in ancipiti re positi & difficultatibus pluribus impediti tandem nescirent, quousque aut negando, aut affirmando progrediendum sit. Sed mens impigra, sollertia atque diligentia egregiorum Virorum, qui arcana naturae quam curiosissime perscrutantur, experimentis sedulo institutis aliorumque observationibus collectis, tandem faciliorem & expeditiorem viam investigandae perarduae huius rei praebuit, neque antequam vermes intestinales proprium genus in corpore animali constituere exploratum esset, ab opera destitit. Praevia una observatione, altera repetita, eo tandem pervenerunt, ut, propriis experimentis in auxilium vocatis, systema aliquod experientiae ipsi superstruere, vanitatemque hypothesium explodere possent. Pro comperto erat, omnibus fere partibus corporis animalis vermes inesse posse, quomodo oriantur & propagentur, potissimum explorari coeptum est. Id quod facillime in vermibus tubi intestinalis procedebat, eadem vero explicandi ratio, ad vermes aliarum partium translata, plures subibat difficultates, immo repugnantias, quas per experientiam solam eamque pluries repetitam expedire debuit. Contigit mihi una cum Patre optimo puerum observare, cum urina vermes, id est, ascarides vivas excernentem, hinc eo liben-

tius arripui hanc datam scribendi occasionem, & observationem ulterius exponendi, quia & ab aliis paullum recedere, & multam cogitandi medicinamque proferendi materiam praebitura mihi esse videbatur. Neque alienum a proposito & libelli academici fine puto, observationi explanationem adiicere, ut summa rei conspici, physiologis medicisque iudicium ipsum committi queat. Ante omnia necessarium duxi, ut historiam naturae originemque ascaridum attingerem, quia diiudicatio historiae morbi accuratior hoc postulare, & si quid ad facilius considerandam perpendendamque observationem attulerim, gratia quorundam lectorum conciliari mihi posse videbatur.

HISTORIA NATURAE ASCARIDUM.

Ascarides eo potissimum ab aliis differunt, quod sunt vermes elastici, quorum forma ad rotundam accedit. Earum variae sunt species. Aliae acus instar sunt formatae, aliae chordis aut caulibus pennarum similes. Utrimque acuminantur, in capite tres noduli cernuntur. Extremum caudae aut obtuse rotundatum, aut in subulae modum acuminatum est. Varie dividuntur. Tres primariae praecipue divisiones assumptae sunt, quarum quaelibet subdivisiones continet. Quidam eas in systema redigere studuerant, quo magis gradationibus perspectis, ab aliis possent discerni (*a*). Fuerunt, qui quatuor genera (*b*), alii, qui tria statuerent, numeratis etiam, sed falso, tri-

(*a*) Historia ascaridum physiolog. auct. *M.* VAN PHELSUM, Leovard. 1762. pathologica ib. 1769. GOEZE Versuch einer Naturgeschichte der Eingeweidewürmer thierischer Körper. Blanckenburg 1782.

(*b*) BLOCK Traité de la génération des vers des intestins, & des vermifuges. Strasburg 1782. 8vo.

churidibus (*a*). In corpore humano huc usque duae tantum species detectae sunt, nimirum *ascarides lumbricoides* & *vermiculares* (*b*), quarum postremas speciatim describam, propterea, quod observatio iam dicta eas memoratu dignas reddidit.

Ascarides vermiculares — cauda subulata.

Ascarides huius speciei non ultra pollicem longae, vix ad tertiam lineae partem crassae, subalbae, laeves, nec orbiculatae sunt: caput valde attenuatum & obtusum est, os trivalve, valvulis ex ovato oblongis ad capitis latera sitis, corpus rugis annularibus instructum. RETZIUS. Ab aliis differunt.

1) Canali suctorio & ventriculo, pistilli formam referente.

2) Cauda in subula subtilissime acuminata.

Sedes.

Sedes est partim in crassis, partim in tenuibus intestinis; frequentissime ibi degunt,

---

(*a*) BLUMENBACH Handbuch der Naturgeschichte; Götting. 1791.

(*b*) RETZ'I Lection. publ. de vermibus intestinal. inprimis humanis; Holm. 1786. p. 7. sequ. & p. 40.

ubi multum pituitae inteſtinalis eſt. Ideo saepius observantur in infantibus (*a*), quam senibus, cum illi magis obnoxii ſint accumulationi pituitae. Et quo plus pituitae oſtendunt pueri, eo tutius aluntur, eo copioſius propagantur. Propterea praecipua sedes sunt inteſtina. Rarum exemplum haberi debet, ſi praeterea in aliis corporis partibus inveniuntur, ut ipse in clinico praeceptoris excellentiſſimi STARCKII, foeminam circiter annos quadraginta natam vidi, cuius ex vagina (*b*) ascarides subinde excernebantur (*c*). Accedebant praeterea maxima symptomata. Non minus rarus casus is eſt, de quo deinceps copioſius dicturus sum, quum ascarides urinando excedebant. Sed non alienum aut inutile videtur, ut *de generatione ver-*

(*a*) RETZIUS, l. c. p. 10. 13. in pueris raro reperiri ante vitae biennium ascarides, poſt duodecimum annum rariores eſſe, rariſſimos in adultis, nonnunquam in colon & caecum ascendere, nunquam in tenuia, in Suecia nunquam visas eſſe contendit. Praeterea memorat virginem 40. annorum, quae demum anno aetatis 35. ascaridibus tentari coepit.

(*b*) RETZIUS ibid. p. 11. illas ex utero illuc veniſſe, ut alii ſtatuerant, minus probabile putat.

(*c*) Vermium ex vagina excretorum observationes referunt SOLENANDER, *Marcellus* DONATUS, COKSON, aliique celeberrimi Scriptores, qui praxi incubuerunt (*Editor*).

mium generatim praecipuas opiniones in medium proferam.

Generatio vermium intestinalium.

Variae fuerunt sententiae de ratione, qua vermes intestinales in corpore generentur. Quum antiqui naturam eorum minus cognitam ac perspectam haberent, nec satis eam observare possent, non graviter ferendum est, si in minus probabiles vel falsas opiniones delapsi sunt, nec vero mirum, quod pernecessariis destituti subsidiis ne rectam quidem notionem generationis tenerent. At laudi tamen eis dari oportet, quod de ea re gravi cogitarint. Alii opinabantur, vermes ex putredine nasci. Hanc *generationem aequivocam* nominabant (*a*). Alii statuebant *generationem univocam*, id est, procreationem vermium: alii eos mechanica, vel chemica ratione, concursu molecularum organicarum &c. generari existimabant (*b*). Sed quisque facile perspicit, hanc, illamque opinionem, principiis physices & chemiae omnino repugnare, adeo, ut temerarium & ridiculum sit, si quis easdem

(*a*) ARISTOTELES De Generat. animal.

(*b*) CARTESIUS, Tract. de Homine; Amstel. 1677.

nostris temporibus amplecti velit. Nam si in vivis corporibus animalium vera putredo cogitari non potest, quid repugnantius ac stultius esse potest, quam ex eadem ortum istorum vermium derivare? Hoc tantum in mortuis corporibus fieri potest, & vere observatum fuit, isti autem vermes ex ipsa putredine enati sint, an foetor muscas allexerit, quarum ex ovulis ibi depositis vermes enascerentur, non satis liquet. Certe haec opinio priori praestabilior putanda est. Quod si in cadaveribus vermes deprehenduntur, quomodo concludi potuit, vermes intestinales, alius certe generis, in vivis animantibus eadem ratione existere debere? Profecto maiores si leges putredinis curatius intellexissent, nunquam in eiusmodi opiniones delapsi essent. Sectantur analogicas argumentationes, sed non curant, iidem sint vermes, qui in vivis corporibus degunt, nec ne. Sed transierunt illa ad obsoleta. Pluribus iisque repetitis observationibus satis intellectum est, vermes intestinales sub proprio genere contineri, qui non, nisi ubi nati sunt, vivere possint. KRATZENSTEINII (a) sententia consistere potuit, ex muscis ovula excrementis orificii ani & perinaeo com-

(a) Abhandl. von der Erzeug. der Würmer; Halle 1748.

mittentibus ascarides nasci posse. Isti enim vermes se invicem generant, neque illa ratione nascuntur.

Postea plures scrutatores naturae extiterunt, qui diligenter observando & meditando plane novam rationem inducerent. Videbatur quaestio, quomodo vermes intestinales existant, non tam ad medicinam, quam ad naturae studium pertinere, nec Medicus, quamvis sciat, eos corpori humano inesse, ibique vivere & morbos efficere, ad eam rem cognoscendam satis instructus est, nisi historiam & scientiam naturae bene teneat. Inde igitur omnia praesidia ad quaestionem de generatione vermium solvendam petenda sunt. Ego vero praecipuis & maxime divulgatis sententiis enumeratis, id potissimum curabo, ut in comparandis eis, quid ostendat, quid repugnet, quid a veritate vel veri similitudine alienum sit, maxime pateat, &, iis reiectis, id, quod maxime cum experientia & ratione conspirat, aut saltem quam minime a verosimilitudine discedit, eligatur.

Opiniones de generatione vermium intestinalium (*a*) praecipuae sunt,

1) Eos in corpus humanum foris inferri, vel

2) Una cum corpore animali nasci.

(*a*) RETZ., l. c. p. 36. seq.

Qui priorem opinionem amplectuntur, reputent secum necesse est, qua ratione vermes corpus animale ingredi potuerint. Neque satis est dicere, cum alimentis illatos esse, nisi ante constiterit, an re vera eiusdem generis vermes extra animalia sint reperti, vermes ingressi, an ovula in animalia delata sint, an ibidem demum quandam propriam organisationem adepti fuerint. Haec omnia confirmari oportet experientia. At vero haec argumenta opponi possunt.

1) Quamvis quidam, v. c. BEIREISIUS, vermes intestinales extra corpora animalia in puteis deprehensos esse velint, tamen observationes istae nec satis certae sunt, nec multum ponderis habent: alii contra, re accuratius explorata, istos vermes ab intestinalibus prorsus differre, demonstraverunt (*a*). Inter utrumque aliqua quidem intercedit similitudo, quin ascarides vermiculares, taeniae (LINN. & UNZER), nec minus lumbrici in paludibus reperti dicuntur (*b*). At GOEZII diligentia constitit, praeter similitudinem

(*a*) GOEZE & BLOCH.

(*b*) De febribus & variolis verminosis, praes. BEIREISIO — *Phil. Ern.* HINZE. Helmst. 1780. Vermiculos hos fuisse ascarides vermiculares opinatus RETZIUS l. c. p. 11. modo vera sit observatio.

magnum quoque discrimen intercedere, adeo, ut, quamvis paene eadem forma, specie tamen & vitae genere longe differant (*a*). Quis ob levem similitudinem eorum statim concluserit, & vermes intestinales extrinsecus in corpora animata venisse? Aut quis illos propriam quandam organisationem hic induisse temere confirmaverit? In aquis degit quaedam species ascaridum, at non eadem, ut observatio diligentior omnique partium studio aliena satis superque docuit. Deinde, si lumbrici & ascarides foris corpora animalia subiere, cur, quam primum iisdem relictis, in aliam caloris aerisque temperiem venere, illico moriuntur? Vermes aquaticos, extra aquam, qua carere nequeunt, statim extingui videmus. Hinc patet, si tam egregiis naturae indagatoribus, GOEZIO, & BLOCHIO, fides habenda est, vermes hac ratione corpora animalium non ingredi potuisse. Quod si ovula eorum una cum alimentis corporibus hominum essent illata, vermes eiusdem generis extra corpora animata extare, & ovula in eis deponere oportuit. Hoc vero falsum est, ergo nec illud esse fierique potest. Vermes igitur una cum ovulis (*b*) a principio in animalibus ipsis ge-

(*a*) GOEZE l. c.
(*b*) RETZIUS, l. cit. Arg. 3. p. 40. contrarium

nerari necesse est. Quum igitur experientia satis constat, vermes istos extra animalia neque esse, neque esse posse, propriumque genus in regno animali constituere, & in omnibus fere partibus animalium vivos vermes inventos esse, v. c. in renibus, hepate, tela cellulosa, peritonaeo, vesica urinaria, tantum abest, ut origo eorum extrinsecus quaerenda sit, ut potius materia quaedam, ex qua procreentur, in corporibus embryonum (*a*) extiterit, & quemadmodum pediculi (sit venia verbo) hominibus, sic corporibus animatis vermes intestinales sint innati.

Iam ad secundam sententiam accedo, *vermes intestinales innatos esse*. Eam multi clarissimi Viri, HIPPOCRATES, HARTSOECKER, VALLISNIERIUS, ANDRY, CLERICUS, COULETUS &c. quamquam expe-

---

statuit. *Si evenerit*, *inquit*, *ut post aetatem viginti annorum quis ascaridibus laboret*, *certe aut iis destitutus fuit in infantia*, *aut intercapedo fuit plurimum annorum inter eorum apparitiones*. *Ubi fuerunt ovula vel proles? quid eorum exclusionem impedire potuit*, *si vivipari sunt? Quid prolis impedivit incrementum? Ubi sub periodorum intervallis delituerunt? Haec mihi totidem sunt mysteria*.

(*a*) Subdubitat cl. RETZIUS l. c. Arg. 2. p. 39. Fieri posse, ut in nondum natis & recens natis vermium ova excludi possint, concedit in infantibus & pullis aliquot hebdomadum, eos vere vermes forma & mole videri etiam recens natos esse.

rientia destituti, argumentis probabilibus defendere conati sunt. Postea PALLAS primus in dissertatione *de infestis viventibus inter viventia* (a) eandem sententiam uberius confirmare tentavit, eumque plures secuti sunt, in primis GOEZE; qui non solum librum optimum copiosissimumque de ea re scripsit, sed etiam observationibus maximo studio repetitis recte demonstravit, istos vermes proprium genus esse, quod tantum in animalibus inesse possit. Hanc ingressus viam, non potuit non hanc sententiam de generatione sequi, quam deinde cl. BLOCH amplexus est. Uterque rationes dignas, quae diligentius spectentur, adiunxit; quarum aliquas cum supra attulerim, ceteras hic adiungere liceat. Si quis animalium genera considerat, facile reperiet, omnibus & maximis, & minimis, aliis plus, aliis minus, locum certum esse natura assignatum. Singula ibi vivunt, ubi alimenta aptissima sunt, alieno loco vel hospitio illata moriuntur. Quis igitur in dubium vocabit, eos nullo in alio loco vitam conservare posse? Vermes igitur intestinales corporibus animatis innatos esse, nullam continet repugnantiam, siquidem ad unum omnes ho-

(a) L. B. 1760. deinde in *Neue Nord. Beyträge* 1. B. Petersb. 1781.

mines materiam, ut ita dicam, verminalem secum habere possunt, quemadmodum iam in infantibus sugentibus, imo in foetu (v. BRENDEL) vermes reperti esse traduntur. Quod si quis inde necessitate quadam consequi putaverit omnibus in hominibus a partu existere debere vermes, is sane multum erraverit. Nam in corporis dispositione victusque ratione hoc situm est, ut in aliis plures, in aliis pauciores, in aliis nulli plane appareant. Si quis v. c. diaetam mollem & pituitosam sequitur, multis farinaceis & glutinosis utitur, adeo, ut pituita accumuletur, & cachexia oriatur, vermes in corpore apta nutrimenta nacti eo magis augeri possunt, & tunc speciem proprii morbi praebent. Contra si quis recta ratione corpus curat, partesque, omni infirmitate diligenter vitata, iusta reactione praeditae omnem contrariam reactionem vincere valent, vermes, cum necessaria dispositio non adsit, corpori humano nullo modo nocere possunt, quamvis elementa verminalia adsint, imo vermes aliquot ocularibus visi fuerint (a). Sed in corporum dispositione, quae

(a) Ex praeclariss. Auctoris allatis nullum remanere dubium videtur, vermium originem in corpore animali eiusdem substantiae solutionem pro caussa agnoscere. Etenim homini bene pasti, aut morbo sthenico

nunc fere ubique est, fieri non potest, quin morbi verminales crebrius existent. Deinde cum vermes in partibus inventi sunt, ubi aditus foris non patebat, v. c. vermes vesiculares in cerebro ovium (a) (v. KOCH — GOEZE), vermes vesiculares eremitae in cavitate ventris, & pectoris (v. TYSON, HARTMANN, REDI, BARTHOLINUS); quaeritur, qua ratione eo venerint? Per vasa exhalantia? At ante per experientiam constare oportet, num id per leges physiologiae fieri possit. Accedit, quod in aliis animalibus alia genera vermium reperta sunt. Id quod per inhalationem solam explicari non potest. Igitur quum aliena a fide & repugnans haec via sit,

correpti vermibus minime afficiuntur, ex eo quod in ipsis nutritio peraeque non solum adimpletur, verum & partium organisatio conservatur. E contra debilioribus hominibus vermes familiares ex defectu nutritionis, & ex partium solidarum solutione. Haec omnia iam a clariss. NEEDAM notata fusius alio loco (*Annotazioni medico-pratiche sulle diverse malattie trattate nella Clinica medica di Pavia*, *Vol. II. Cap. XI.*) exponam (*Editor*).

(*a*) Etiam in hominum cerebro vermes inveniuntur. In cerebri ventriculis hominis cuiusdam apoplexiae nervosae decessi *taeniam hydatigenam* plexubus choroideis decurrentem observare mihi occasio data fuit, cuius descriptionem icone illustratam in *Annotationibus &c.* loco citato referam (*Editor*).

ſit, nec alia ſit, qua foris potuerint corpus ingredi, ipsos in partibus, ubi inventi sunt, exſtitiſſe oportuit.

His sententiis expoſitis, neminem fugere puto, quaenam ſit vero ſimillima minimisque difficultatibus implicita. Sed propria experientia deſtitutus, non potui, quin aliorum Virorum & graviſſimorum, & dexterrimorum naturae interpretum fide niterer. Nam ut ipse, quam sententiam aliis praeferrem, argumentis probarem, id non ſine iniquitate a me poſtulari potuit. Quod meum fuit, ut veriſſimum, id eſt, minimis dubiis obnoxium, omni, qua par eſt, diligentia, ſine ullo partium ſtudio eligerem, id, quam potui, accuratiſſime feci. Et quamquam longius, quam volui, huic rei immoratus ſim, tamen, quod hiſtoriae morbi, ad quam iam accedo, multum lucis inde affunditur, non alienum a meo conſilio id eſſe duxi. In contrariam sententiam abit cl. RETZIUS (*a*), qui, argumentis pro probanda connatorum vermium natura hinc inde examinatis, tandem ita concludit; *ingenue fateor, unam hypotheſin non minus obscuram eſſe, quam alteram;*

(*a*) L. cit. p. 38 — 55.

fateor etiam me nescire, quae vera sit harum, nec opinari me audere ob difficultates ab utraque parte mihi impenetrabiles. Dies forte docebit.

Historia morbi.

Filius mercatoris R.... Isenacensis, natus annos sex, cum maximo corporis vigore uteretur, repente, hora VI. vespertina coenans, in tetanum verum incidit. Pater meus accersitur, mihi una eundi & videndi potestatem facit. Remediis antispasmodicis, quae praeceperat pater, in spina dorsi & ventre inunctis, adiunctaque frictione, symptomata quidem spasmi se remiserant, sed paullo post in profundum somnum & sudorem puer incidit, sex horarum spatio durantem. Exporrectus somno matulam petit, &, interiecto subinde vagitu, multam urinae copiam emittit, in qua ascarides vermiculares ultra quam ducentae visebantur, plurimae aliquamdiu superstites erant. Urina ipsa, quod maxime memoratu dignum est, naturalis, clara, sine pituita & glarea erat. Puer deinde sumpsit laxans ex mercurio dulci & pulvere ialappae. Alvus nullum vestigium vermium prae se ferebat. Inde convaluit, & firma valetudine usus est. Antea nulli affectioni obnoxius fue-

rat, ex qua aliquis vermes coniicere potuisset, nisi quod interdum exanthemata in cute pullulaverant. Neque ante observatum est vermes per alvum eiectos fuisse, multo minus per urinam. Quod ad diaetam pertinet, maxime esu casei, nunquam vero carnis delectatus fuerat.

Hanc historiam morbi dignam iudico, cui paullo longius immorer, illamque, habita generationis ascaridum ratione, quantum fieri potest, illustrem. Qua in re, cum aliorum experientiis destitutus sim, meum iudicium necessario adiiciendum fuit, non quod credam, me naturam morbi attigisse (id esset paullo arrogantius dictum), sed ut aliorum doctorum Virorum, & Medicorum, & Physiologorum, penes quos arbitrium esto, studium sollicitem. Nam id non metuo, fore quemquam, qui de veritate observationis dubitandum putet. Testes in promptu sunt.

Epicrisis.

Quamquam Medicorum observationes iam d..uerunt, vermes per urinam excretos fuisse; tamen cum perrarae sint, semper optandum fuit, ut, pluribus collectis, res magis patefieret. Accedit, quod illi, anatome & historia naturae non omni ex parte perspecta, fal-

sa similitudinis specie decepti, saepenumero vermes animadvertisse sibi videbantur, ubi nulli erant. Certe res talis est, in qua errare ac labi facile fit. Sic v. c. ubi vermiculi allati (iique vivi) ex puella quadrima excreti dicuntur (*a*), procul dubio diligentior observatio docuisset, non intrinsecus eos latuisse, sed, quod vere observatum fuit, rimam vulvae obsedisse, indeque urina eiectos esse. Sed quamquam ista res multis erroribus obnoxia est, tamen multae observationes, & veteres, & novae, si non omnis fides ipsis deneganda est, vermes per urinam emissos docent.

Observationes eiusmodi itaque non sunt plane novae, nec tamen contemnendae, imo diligentius examinatae saepe morborum incognitorum & obscurorum naturam patefaciunt. Medicus enim non raro, caussa morbi cuiusdam non intellecta, non potest, quin empirice agat, & primo symptomata tantum curet, usque dum observationibus aliorum impulsus ad caussam eiusque modum agendi inquirendum, si qui similes casus incidant, certas regulas sequi possit. Ad quemvis igitur Medicum pertinet, ut observationes inprimis

(*a*) Eph. Nat. Curios. Dec. 1. Ann. III. Obs. 28.

novarum vel nondum satis perspectarum rerum ad communem utilitatem afferat.

Exempla quaedam igitur adducam, ex quibus pateat, iam observatos fuisse vermes per urinam emissos. Inter alia TINCTORIUS scorbutici mentionem facit, ex quo vermes vivi urinando exiisse dicuntur. Idem BALDUIN. RONSSEUS Epist. X. p. 42. in homine lue venerea affecto vidit. Plura huius rei exempla alibi reperiuntur (*a*). *Henricus* AB HEER casum narrat, quo XVI. vivi vermes e puero eiecti sunt (*b*). Vermes varia forma expulsos fuisse, observationibus quoque probatur, v. c. vermes vivos longitudine sex digitorum ex puero, post maximam urinae difficultatem coniunctam cum dolore vehementissimo (*c*), itemque vermem erucae similem, bicipitem, longitudine pollicis ex sene. Etiam prostant parvorum vermium exempla. Sic in virgine, mensibus suppressis, cacochymia & inordinata laborante, per urinam vermiculi minores crinibus sunt eiecti. Plura exempla inveniuntur apud *Io. Matth.* HESS

B 3

(*a*) Eph. Nat. Curios. Dec. I. Ann. I. Obs. 50. — RHODIUS Cent. III. obs. 35. — BARTHOLIN. Cent. I. Histor. Annot. 89.

(*b*) *Casp. a* REIES, Elys. Iucund. Quaest. Camp.

(*c*) SCHENCK, Obs. Med. Lib. III. Verm. p. 500.

Cas. 3. Obs. Med. pag. 130. SALMUTH. Cent. 1. Observ. 49. HOLLER de morbis intern. l. c. 50. p. 526.

Non minus nostra memoria iidem casus a Medicis fidei haud dubiae animadversi sunt. Sic a viro quodam variis temporibus plurimi minores vermes per urinam, & per alvum duo magni egressi dicuntur (*a*). Plura exempla adducere possem, nisi putarem, allata iam satis probare, dari emissionem vermium variae formae per urinam, & in maribus, & in foeminis. Sed hoc merito in his observationibus desiderari potest, quod ob cognitionem historiae naturalis minus accuratam non simul patet, ad quam speciem vermes emissi singulis in casibus pertineant. Neque ulla observatio, quantum quidem scio, exstat, quae manifesto demonstret, ascarides vermiculares, quae ut plurimum in intestinis commorantur, urinam fuisse redditos (*b*).

(*a*) BALDINGER. N. Magaz. III. B. 1. Stück. p. 19.

(*b*) In opusculo quodam clarissimi Medici *Cornelii* PEREBOOM (*Beschryving en natuurlyke afbeelding der Maagige, Zynde een nieuw geslacht van Wormen in 't Menschelyk Lichaam gehuisvest; Waarby gevoegd is geneeskundige waarneming eener worm door den Pisweg ontlast &c. Te Amsterdam* 1780. 8vo) extat descriptio lumbrici cuiusdam per urethram eiecti. Hanc propriis verbis referam.

Hic igitur quaestio oritur, qua ratione isti vermes in urinam ingressi sint, & num-

---

„ Olitor 50. fere aetatis ante aliquot tempus nephritide laborabat, ita ut periti iudicarent, calculo vesicam occupatam esse, tum ex mictu doloroso, difficili, impedito, & quocunque modo turbato; tum ex sensatione oneris in abdomine, titillatione virgae & caeteris hoc symptoma comitantibus; tum ex gressu varicato & dolore spastico cruris sinistri; tum ex urina cruenta, purulenta, aquea, grumosa, turbida, mucosa, foetida, vel & crassissima; sed praecipue catheterismo repetito. Ideo variis remediis usus fuit, ut aqua calcis, millefolio, balsamo sulphuris, atque elixirio vitrioli MYNSICHTI, pro parte proprio marte, pro parte ex consilio peritiorum. Tandem & horum usus pertaesus, post longum sat intervallum, iterum meae curae sese committebat. Debilis erat, vehementibus doloribus afflictus, noctu dieque, sed praecipue dum meiebat. Urina iam adeo erat purulenta, ut plus puris ac urinae emitteret; vitra enim, lotio caute recipiendo usitata, ad dimidium & quod excedit sedimenti purulenti plena erant, intermixtis frustulis quasi carnis recens mactati. Praeter emollientia prudenter adhuc laudanum in usum vocabam cum levamine, adiuncto regimine. Urina vero post aliquot dies, loco sedimenti purulenti, bruneum deponebat, insimul crassior, & stercoreum foetorem prodens dum laboriosius faciebatur. Accedebat emissio flatuum sat fortium ex urethra. Sedimentum dictum accuratius examinatum, inter caetera in eo oryzae granulum intermixtum erat ex reliquiis ciborum hesterna die ingestorum; & passim varia talia quotidie detegebam, praecipue panis secalinae non bene commanducata. Per quinque fere dies insolita haec secretio mi-

quid diaetà pueri antecedens aliquid ad hoc contulerit? Quae ut rite perpendatur, tria momenta spectanda erunt.

„ serrime continuabat, alvo penitus obstructa, licet „ eam mannatis & prunis debita in quantitate reserare conabar, donec tandem diarrhoea insequebatur. „ Faeces sensim sensimque liquidiores, tandem cum foetore urinoso, ipsius stercoris praedominante, prodibant, ac tandem sinceram urinam alvus deponebat. „ Per decem fere dies hac diarrhoea duodecies quandoque vicesies de die, patiens conflictabatur, ut tubus „ intestinalis inde penitus quidem exoneraretur. Interea „ dum absolute nihil urinae per urethram emitteret, „ aliquatenus inde sensit levaminis: & renovatione quasi „ virium gaudebat, cibi avidus, bene quoque digerens. „ Licet nec adstringentibus, nec ipso quidem laudano, „ diarrhoeam compescere potuerim, sensim tamen sponte cessabat, ut in laxitatem alvi degeneraret, faecibus „ nihilominus adhuc urina foetentibus. Tandem ut „ prius vehementissimo cum cruciatu ibat lotium, cuius sedimentum stercoreum duas partes toties excedebat, continens quaecumque alvus indigesta ex hesternis reiecerat, ut ficuum semina, pomorum volvas, cicerum siliquas, olerum frustulas, & singula „ ne referam, pomi chinensis granum compressum „ medulla iam semidigesta continebat. Quis huius scenae non misertus esset, exitum acerbum minitantis. „ Praedictis solummodo remediis adhibitis, cum animadverti febrem fere abesse, & animo forti dolores subire patientem, ita admonui, ut talia alimenta caperet, quae in faeces pulposas concoqui possent, ut „ farinacea, lactem, ova, ius carnium &c., tum & ut „ ipsi bis de die clysma iniiceretur ex therebinthina „ mediante vitello ovorum aquae inmixta. Primi enematis portionem una cum urina patiens meiebat, post

1) Num experientia certo sit exploratum, in organis urinariis corporis humani,

---

„ secundum non tantum, post tertium quartumve clysma, solummodo odore therebinthinae urina erat praegnans. Ita iniectis plus minus decem clysteribus, urinam iterum cum sedimento purulento albo, minime vero stercoreo, vel tale peregrinum olente, secernebat. Nec minus deiectio regularis erat absque urinae putore. Quicquid agerem, clysteres amplius recipere recusabat, derelictus ab omni spe & cogitationem suscipiens, praeter terrae Iaponicae solutionem, ab aliorum remediorum usu desistere, observationi solummodo animum submittens. Ita procedens interea sensim utcunque vires recuperavit, domum egressus, publicas agens conventus, olitoris functiones exercens, licet magno cum dolore urinam mittens, adeo ut languidam duceret vitam".

„ Post novem menses ad me retulit, se hucusque cum praedictis remediis continuasse: addebat vero, mictionem lancinantem minime sopitam esse, utpote cum urina purulenta passim magnas frustulas quasi sanguinis grumosi eiiciens, sinceri sanguinis particulam monstrans mane mictam, cuius longitudo fere sesqui pollicis erat, crassities vero semi pollicis, adhuc renunciabat similia quotidie accidere. Die tertio Novembris 1771. mane per urethram lumbricum teretem expulit, quem mihi vivum videre contigit, prout ex virga egressum, patiens ipsum extrahebat & vitro iniiciebat. Hic colore gaudet albo & in naturali magnitudine repraesentatur Figura quinta, spiritu iuniperi conservatus. Posthac membris labefactis, vermem equidem socium nequaquam, sed ingentia frustula, gelatinae instar sanguinolentae, urinae sedimento intermixta largiter exonerare miser continuavit, febre praeterea hectica & huius cohorte vexatus & ad ultimum vitae halitum usque dolore exquisito

quemadmodum in ceteris partibus, propriam speciem vermium inesse?

2) Deinde num iidem vermes per alvum sint eiecti, an forte fistula ani viam quandam praebuerit, qua in vesicam urinariam ex intestino recto descendere potuerint?

3) An per inhalationem vel alimenta sint illati?

Quod ad primum attinet, propriam speciem vermium in vesica urinaria aut in renibus, sicut in ceteris partibus, degere, ut iam colligitur ex allatis observationibus, non certo constat. Nam vermes varia forma & magnitudine ex vesica emitti vidimus. Argumentum, quod pro generatione vermium ex certa & definita eorumdem habitatione (*a*) desumitur non satis firmum esset, nisi eos corpori humano innatos esse, multo graviori-

---

„ mactatus, quem aliquantulum quidem compescere „ laudano potui, ipsemet vero strenue religiosa patien- „ tia & pia deditione sui voluntati divinae sustentare „ valuit, mente adhuc dum constante ischuria tandem „ vitae filum abrupit die 23. Augusti 1772.

Haec PEREBOMII observatio illam a perillust. Auctore allatam magis magisque roborat (*Editor*).

(*a*) Pluribus docuit RETZIUS l. c. Arg. 3. p. 41. & Arg. 4. p. 13.; falsum hoc esse criterium, quia vermes intestinales etiam alibi i. e. in aliis corporis partibus reperiuntur.

bus rationibus ostenderetur. Sed de his iam antea satis dictum est.

Nec de secundo argumento, annon per alvum vermes isti eiecti sint, nos dubios reliquit. Alvus pueri laxante remedio soluta est scilicet. Si fistula ani affuisset, sane urina non tam clara & pura fuisset, sed alio colore foedata. Quamlibet fistulam ulcus quoddam antecedit, hic vero mixtus color urinae omnino defuit, ergo nullum signum apparuit.

Tertio per alimenta eos invehi potuisse, iam per antedicta tollitur. Per vasa inhalantia (*a*) in organa urinaria inseri posse, vero esset similius, nisi id, ut ex antedictis patet, hypothesi potius, quam principiis physiologiae atque experientiae niteretur. Vasa ista quidem fluidum subtilissimum recipere possunt, an vero corpora, vermes & ovula ipsa possint resorberi & ad certum locum deferri, hoc iam a Physiologis esset expediendum. Vena Medinensis (*b*) sub cutem porrecta ratio-

---

(*a*) Fieri hoc posse negat RETZIUS, l. c. p 38. & p. 46.

(*b*) *G. H.* WELSCHII, Exercit. de vena Medinensi, Aug. Vind. 1674. GRUNER Morb. Antiquit. Sect. 2. n. 10. p. 216. & Act Acad. Mogunt. a. 1777. p. 277. FUCHS Comm. de dracunculo Persar. seu vena Medinensi Arabum, Ien. 1781. & KUNSEMULLER De morbo Yaws dicto & de vena Medinensi, Specimen in tertio huius Sylloges Volumine recussum (*Editor*).

nem, qua per inhalationem vermes ingrederentur, explicare posset, nisi per generationem internam id potius fieri, quam per inhalationem, multo esset probabilius. In primis hic quaeri oportet, quomodo hac via eos intrasse ostendi queat? Profecto nimis longa est, quam ut ascarides ita ad vasa urinae pervenire potuerint, quum ex vasis serosis in sanguifera, indeque, omni circulationis systemate peragrato, per vasa secretoria in venas transire debuissent. Quod quidem omni experientiae repugnat, & ante dictis omnino tollitur.

His praemissis, restat, ut paucis ostendam, fieri posse, ut ascarides ipsis in vasis urinariis certis sub conditionibus nascantur. Inter has conditiones, ut mihi videtur, haec sunt potissimum referenda. Puer caseo potissimum utebatur, & ab esu carnis alienus erat. Huc accedit, quod ductus urinarii forsitan iam antea variis rebus, v. c. flexu, lapsu aut exercitationibus corporis, debilitati fuerant. Quo facto, quum ista diaeta accederat, eo magis dispositio verminalis gigni potuit. Quemadmodum constat, crebro casei usu corpus calculo obnoxium reddi, cuius ortum pituitosarum terrenarumque partium secretio antecedere debet, ita quoque par est, in puero eandem per caussam tantam pituitae vim in

vasis urinariis accumulatam fuisse, ut inde occasio vermibus nascendis data esse videatur. Iam olim generatio vermium, quum aliter perspici & diiudicari non posset, pituitae ex renibus secretae fuit adscripta (*a*). At vero urina erat clara. At fieri potuit, ut pituita & in renibus, & in vesica urinaria adeo fuerit consolidata, ut urina eam non posset satis eluere. Quod si iam ante in ductibus urinariis semen verminale exstitit, renibus debilitatis, per alimenta pituitosa dispositione aucta, eo magis vermes explicari & propagari potuerunt. Nihil hac in re ambiguum est, quam generatio hoc in loco, quod futurae diligentiae & observationi Medicorum explanandum relinquo.

Quod ad symptomata attinet, quibuscum puer conflictabatur, iam in promptu est, quam varia & pertinacia mala hac aetate ex irritatione vermium existere possint. Itaque pueri quo maiores irritationes percipiunt, eo facilius in miros varii generis spasmos incurrere possunt. Sed haec non unica est caussa symptomatum istorum, ad alias quoque respiciendum est. Acrimonia dentitioque varia spasmorum mala infantibus contrahunt, quae forte ex

(*a*) SCHENCK Observ. Med. Lib. III.

vermium irritatione derivares, cum haec & illa saepe coniunctim, saepe seorsim eosdem effectus habeat. Sic errori & ignorantiae saepe locus est, si non omnia accurate & diligenter perpenduntur, ut pateat, quae caussa secundum universam experientiam & signa semiotica hoc in casu obtineat.

Similem casum iam narravit SCHENCKIUS, ubi puer, qui post urinae difficultatem in profundissimum suavissimumque somnum inciderat, & totam noctem quieverat, inter dormiendum inscius maximam sanguinis copiam una cum verme per urinam emisit. Noster puer itidem post impetum lapsus est in somnum, qui remissionem irritationis antegressae indicabat. Quaevis irritatio debilitatem relinquit. Ascarides, in vesica urinaria aut in urethra praesentes, nervos ibi obvios irritasse, indeque totum systema nervorum per consensum in statum spasmodicum redegisse censeo. Tenesmus, puerum opprimens, tantaque vermium postea expulsorum copia ostendit, quam vehemens & continua haec irritatio fuerit. Sed quum, quae ad rem ipsam pertinent, attigisse mihi videar, tempusque plura adiicere prohibeat, finem huic dissertatiunculae imponere lubitum est. Quae desunt, vel non satis bene expressa sunt, ceteris me prudentioribus viris supplenda, corrigenda, relinquenda existimo.

OPUSCULUM II.

IOANNIS HENRICI CHAUFESSIÉ

MEDICINAE DOCTORIS HAMBURGENSIS

SPECIMEN

SISTENS HISTORIAM FEBRIS FLAVAE AMERICANAE

Halae anno 1794. *editum*.

I.

Fontes huius historiae.

1. Mémoires pour servir à l'histoire de Cayenne & de la Guiane françoise, par Mr. BAJON. Vol. I. Paris 1777. 8.
2. *Carl* BISSET'S Medical Essays and observations. London 1766. 8.
3. *Gilbert* BLANE'S Observations on the diseases incident to sea-men. Lond. 1785. 8.
4. W. A. S. BUCHOLZ Nachricht von dem herrschenden Fleck-und Faulfieber. Weimar 1773. 8.

5. CAREY'S account of the malignant fever, lately prevalent in Philadelphia. Philadelph. 1793. 8.

6. *Lionel* CHALMERS on the weather and diseases of South-Carolina. London 1776. Vol. 1. 8.

7. Voyage en Californie, pour l'observation du passage de Vénus sur le disque du soleil, par feu Mr. CHAPPE d'AUTEROCHE. Paris 1772. 4.

8. *C.* CHISHOLM The history of a singular affection of the liver, which prevailed epidemically in some parts of the West-Indies: DUNCAN'S medical Commentar. Dec. II. Vol. I. pag. 353.

9. *John* CLARK'S Observations on the diseases in long voyages to hot countries, and particulary in the East-Indies. London 1773. 8.

10. CLOSSET'S Beschreibung eines Faulfiebers: in *Jos.* MOHRENHEIM'S Wienerischen Beyträgen zur praktischen Arzneykunde. Th. II. S. 68. Wien 1783. 8.

11. *Sam.* CURTIN de febre flava Indiae occidentalis: in *Car.* WEBSTER medicinae praxeos systemate, ex acad. Edin. disputat. depromt. Vol. I. p. 405. s. Edinb. 1781. 8.

12. *Bryan* EDWARDS Thoughts on the late

late proceedings of Governement respecting the trade of the Weſt-India Islands with the united ſtates of North-America. London 1784. 8.

13. *Leon. Ludw.* FINKE'S Versuch einer allgemeinen medicinisch. practischen Geographie, B. I. Leipzig. 1792. 8.

14. *Alberti de* HALLER opera minora., Vol. III. Laus. 1768. 4.

15. *Vilh.* HILLARY'S Beobachtungen über die Veränderungen der Luft und die damit verbundenen Krankheiten auf der Insel Barbados. Aus dem Engl. Leipz. 1776. 8.

16. *Griffith* HUGHES'S natural hiſtory of Barbadoes. In ten books. Lond. 1750. fol.

17. HUME in medical and philosophical Commentaries of a society of Edinburgh, Vol. IV.

18. *John* HUNTER'S Observations on the diseases of the army in Jamaica. London 1788. 8.

19. *Rob.* JACKSON'S treatise on the fevers of Jamaica. Lond. 1791. 8.

20. *Paul Erdm.* ISERT'S Reise nach Guinea und den caribäischen Inseln in Columbien. Kopenh. 1788. 8.

21. *Jo. Bapt.* LABAT'S Nachrichten von Siam: in allgemeiner Hiſtorie der Reisen zu Waſſer und zu Lande, Th. XVIII.

22. *Jam.* LIND'S Versuch über die Krankheiten, denen die Europäer in heiſſen Klimaten unterworfen ſind, mit Anmerk. von THION DE LA CHAUME. Riga 1792. 8.

23. *John* LINING'S observations on the yellow fever: in Eſſays and obſervations phyſical and literary, read before a society in Edinburgh, and published by them, Vol. II. p. 370. 396. Edinb. 1756. 8.

24. *Jodoc.* LOMMII observationes medicinales. Amſteld. 1762. 8.

25. *John* LUFFMAN'S brief account of the Island of Antigua. Lond. 1789. 8.

26. *Jac.* MAKITTRICK de febre Indiae occidentalis maligna flava: in BALDINGERI sylloge selectiorum opuscul. argumenti medico-practici, Vol. I. p. 87. 162. Gött. 1776.

27. *John* MATTHEWS voyage to the river Sierra-Leone on the coaſt of Africa. Lond. 1788. 8.

28. *Beniam.* MOSELEY'S. On tropical diseases, and on the climate of the Weſt-Indies. London. 1788. 8.

29. *Joh.* MOULTRIE de febre maligna biliosa Americae: in BALDINGERI sylloge selectior. opuscul. argumenti medico-practici. Vol. I. p. 163-191. Gött. 1776.

30. E. G. A. OLDENDORP'S Geschichte der Miſſion der evangelischen Brüder auf den caraibischen oder antillischen Inseln, St. Thomas, St. Croix, und St. Jean. Barby 1777. 8. Th. I. II.
31. O' REILLY über das amerikanische gelbe Fieber: in A. G. MEISSNER'S Apollo, 1793. Sept. S. 79 94. Oct. S. 126-154.
32. Traité des maladies des gens de mer, par Mr. POISSONNIER DESPERRIERES. Paris 1767. 8.
33. Mémoire sur quelques maladies du foie, par Mr. PORTAL: in Mémoires de l'academie des sciences, à Paris, ann. 1777. p. 107.
34. Hiſtoire des maladies de S. Domingue, par Mr. POUPPE' DES PORTES. Vol. I. Paris 1770. 12.
35. *John* PRINGLE'S observations on the diseases of an army. Lond. 1765. 4.
36. *Wilh.* RAIT'S On the endemic fever of the coaſt of Guinea, and on the occurence of smallpox a few days after birth: in DUNCAN'S Medical Comment. Dec. II. Vol. III. pag. 313.
37. *Joh. Phil.* SCHOTTE von einem anſteckenden schwarzgallichten Faulfieber in Senegal. Aus dem Engl Stendal. 1786. 8.
38. (TITSINGH'S) Beschryving van het

Eyland Curaçao, en de daaronder hoorende Eylanden. Amst. 1781. 8.

39. *Georg. Juan de* ULLOA'S Reise nach dem mittägigen Amerika: in Allgem. Historie der Reisen zu Wasser und zu Lande, B. IX.

Anonymi.

40. Beschryving van eenige voornaamste Kusten in Oost-en Westindien. Leeuward. 1716. 4.

41. Des moyens de conserver la santé des blancs & des négres aux Antilles, ou climats chauds & humides de l'Amérique. Paris 1786. 8.

42. Kurze Nachricht von dem sogenannten gelben Fieber, welches in Philadelphia, vom August bis October 1793. epidemisch gewesen. (Commentariolus manuscriptus, quem ex Philadelphia missum benigne mecum communicavit Ill. K. SPRENGELIUS).

2.

Instituti ratio.

Fontes historiae huius praemittere necessarium autumavi, cum facile multi miraturi

sint, quod equidem, qui nunquam ipse febrem flavam Americanam viderim, describere eamdem, caussasque & methodum huic morbo medendi, exponere ausus sim. Veruntamen excusari non solum sed defendi etiam posse instituti mei rationem, quivis concedet, qui modo secum reputaverit saevissimas clades, quas morbus hic gravissimus anno praeterlapso in America septentrionali excitavit, variasque & secum e directo pugnantes opiniones, quae de eodem tunc temporis proferebantur: qui deinde compertum habuerit, nostrates quoque non adeo raro, ac vulgo putatur, morbo hoc epidemico vel sporadico laborare posse, quod egregie docent observationes, quas deinde (§. 25.) in medium proferam. Quantopere noxium erit, si medicus iis temporibus morbum hunc non rite dignoscere potest, si indolem ipsius investigare negligit, atque eam cum natura alienae aegritudinis commutat! Accedit, varias nostris temporibus esse institutas observationes febrium biliosarum & hepatitidis, quae melius & clarius indolem horum morborum dilucidare videntur. Symbolam itaque conferre potest haec historia, ut morborum biliosorum imperium cancellis iustis ac aequis terminetur, atque melius definiatur, cuinam corporis organo proprie inhaereant morbi sic dicti biliosi. His omnibus maturius

examinatis, facilius mihi persuasi, non inutilem me suscepisse laborem, qui, si eodem modo lectoribus eruditis visus fuerit, laetitia inde perfundar haud mediocri.

3.

Nomen.

Vulgaris denominatio, *febris flava*, a symptomate, quod maxime necessarium putatur, desumpta est, ictero nempe, quo tota cutis superficies perfunditur. Observantur tamen casus nonnulli, ubi alia omnia symptomata febris huius, sub iisdem conditionibus & in eadem regione adsunt, neque tamen icterus, neque vomitus niger; cum nihilominus a febre flava alienus hic morbus haud videatur. Species deinde binae, nervosa & inflammatoria pura, recensendae venient, ex MOSELEYO, IACKSONIO & CAREYO, quae, destitutae colore cutis flavido, symptomata cetera huius morbi ad unum omnia pedissequa habent. Hinc nomen vulgare, nisi falsum, ad speciem tamen unicam applicandum videtur: ac optandum esset, alio nos nomine hanc febrem posse insignire.

Apud Hispanos vomitus niger (*vomito prieto*, *negro*) audit, ob symptoma, quod

aeque vulgare putatur, ac icterus, neque tamen adeo frequenter occurrit, sicut postea fusius exponetur.

Qui morbum Siamensem (*la maladie de Siam*) dixerunt, POUPPEUM DES PORTES (*a*) aliosque Auctores sequuntur, qui endemium morbum in regno Siamensi esse, atque inde in Indiam occidentalem transgressum fuisse, contendunt. MOSELEYUS vero, nunquam se reperisse in historia regni Siamensis descriptionem huius morbi contendit (*b*). Quibus sibi contrariis opinionibus si adiungere meum iudicium licet, verum quidem est, satis frequentem esse eiusmodi febrem in India orientali, ac praesertim in regno Siamensi, cum LABATUS observaverit, subito non raro homines occidere, horaeque quadrantem post mortem saepius elapsum esse, cum putredinis summus gradus in carne & sanguine deprehendatur (*c*). Inde vero patere haudquaquam videtur, morbum hunc ex India orientali in occidentalem transportatum, neque in hac regione endemium esse. Siquidem HILLA-

(*a*) P. 191.
(*b*) P. 292.
(*c*) Allgem. Histor. der Reisen, B. XVII. S. 398. Cf. FORBIN in Supplém. au tom. XXXIV. de l'hist. génér. des voyages, Vol. LXVI. p. 104. s.

RYUS iam ex relationibus fide dignissimis & ex natura ipsa atque symptomatibus morbi concludere rite ausus est, morbum hunc tropicis regionibus omnibus satis familiarem esse; atque ex hominum memoria desumi, ne ullum quidem argumentum pro extranea ipsius origine posse docuit (a).

Fiévre matelote apud Gallos non raro dicitur, quod nomen, nautis praeprimis infestum esse hunc morbum, indigitat; cum apud incolas regionum tropicarum raro occurrat, fere semper apud advenas ex zonis frigidioribus, sicut postea pluribus exponetur.

Morbi natura, patria, & symptomata me excusabunt, si *Typhum tropicum* nominare audeam.

4.

Descriptio. Prodromi.

Quodsi rite describere hunc morbum volueris, primum distinguendus est vulgaris morbus ab insolitis casibus epidemiarum anomalarum, deinde vero ad stadia praecipua respiciendum.

(a) Pag. 142.

Primum ſtadium febris communis flavae incipit variis prodromis, quae in variis epidemiis penitus deficiunt. Torpor insolitus, debilitas & proſtratio virium muscularium, nisus ad quietem absque effectu, somnus non recreans, appetitus defectus, ponderis ac pressionis sensus in ſtomacho, proclivitas ad sudores, sudores ipſi glutinoſi, frigidi, neque alleviamenti aliquid afferentes; dolores capitis cum temulentia & carebaria; lumborum dolores pertinaces: horripilationes cum caloribus frequentibus, praesertim in volis manuum & plantis pedum, mordacibus; ſitis vehemens; quandoque oris amaror, & frequens, fere asſidua, nausea cum vomituritione; fere semper vertigo, quovis momento recurrens; haec fuerunt symptomata, quae plerumque praegredi febris eruptionem solebant.

5.

Febris ipſius initia & indoles.

Invadit febris vel horrore, vel algore, imo rigore. Rarius vero apparere rigor videtur, praesertim dum contagio typhus hic propagatur (a). Praeterea vero rari sunt ple-

(a) SCOTTE p. 48. BRUCE apud LIND p. 253. — MOSELEY p. 331.

rumque rigores in zonis calidis, & vulgares ipsarum regionum febres iis carere solent. In frigidis menfibus vero nonnunquam rigores apparent etiam in noftra febre, cum eo quidem anni tempore fimiles effe febribus regionum frigidarum soleant (a). Excipit frigus, calor ardens, solito multo vehementior, cum carotidum vibratione, ardore oculorum, totius capitis, cute ficca & ardente, respiratione difficili, velociffima & anxia; angore praeterea diriffimo, qui vero in delirium non facile tranfit. Pulsus eft velox, altus, plerumque mollis (b), nonnunquam vero durus (c), nonnunquam primo ftatim insultu morbi vermicularis (d), quod vires adhuc magis effe labefactatas, celeriusque tranfiturum effe morbum in ftadia sequentia, annunciat.

Febris ipsa non raro penitus deficit ab initio inde. Tunc vero proftratio virium infignior, pulsuum ictus sentiri fere nequeunt, aegri vultus pallidus aut lividus, oculorum splendor penitus amiffus, periculofis symptomatibus non multo poft accedentibus (e).

(a) HUNTER p. 60.
(b) HILLARY p. 176.
(c) MOULTRIE p. 166.
(d) IACKSON p. 254.
(e) BISSET p. 31.

Alioquin febris vel remitti, vel continuo vigore saevire pergit, usque ad secundi stadii initium. Quo maius periculum imminet, quo celerior morbi decursus, eo minus remittit morbus, eo magis ad continuam naturam accedit. Hinc SCHOTTIUS (*a*) nullas, hinc HUNTERUS, satis insignes remissiones animadvertit (*b*), cum in Iamaica ceteroquin lentior & minus periculosus morbus esse soleat (*c*).

6.

Symptomata cetera primi stadii.

Symptoma maxime vulgare, quod in hac specie nunquam abesse solet, est tumor & tensio praecordiorum, cum sensilitate nimia & assiduis doloribus stomachi iuncta. Adeo vehementem esse hanc teneritudinem & sensilitatem regionis epigastricae, ut ne levissimum quidem tactum aegri ferre possint, HILLARYUS observavit (*d*). Tumorem & ardorem praecordiorum LINDIUS (*e*), MAKIT-

(*a*) P. 48.
(*b*) P. 60 -- 62.
(*c*) CURTIN p. 51.
(*d*) P. 184.
(*e*) P. 131.

TRICK (*a*), BRUCIUS (*b*), ROUPPIUS (*c*), CAREYUS (*d*), BLANIUS (*e*), & MOSELEYUS (*f*), semper adesse, neque unquam deficere, contendunt. IACKSONIUS describi haud facile posse eiusmodi sensationem, quae composita sit ex anxietate, ardore, nausea & excoriationis dolore, addit (*g*). Saepenumero quoque magis ad dexteram partem regionis epigastricae hic tumor tensus dolorificus expanditur, ut hepar praeprimis pati inde concludere possis, utque simul ne levissimum quidem tactum tolerare haec regio possit (*h*). Nonnunquam superfuit morbo iam curato hic tumor dolorificus hepatis, qui vero nunquam signis suppurationis iunctus erat (*i*).

Non ructus soli, sed vomiturittiones assiduae hac sensibilitate stomachi stipabantur in nupera epidemiae, quae Philadelphiae tam tristes effectus habuit. Hae vomituritiones ad maxime vulgaria symptomata iure pertinere dicuntur, eaque facilitate occurrunt, ut quae-

(*a*) P. 91.
(*b*) LIND p. 253.
(*c*) P. 304.
(*d*) P. 1357.
(*e*) P. 307.
(*f*) P. 331.
(*g*) P. 253.
(*h*) LIND p. 252.
(*i*) SCHOTTE p. 65.

vis impressio in organa sensoria aut in sensorium commune, quivis sonus, quilibet lucis radius diro modo iterum excitare eas valeat (*a*). Nonnunquam vero, praesertim in Iamaica, ubi leniorem esse morbum, iam supra docuimus, vomituritiones haud adeo continuae atque vehementes esse videntur primis diebus, sed progressu tantum morbi magis magisque excitantur (*b*). Alioquin materies, vomitu eiecta, viridis, foetida, porracea est, cum perpetua nausea & pulsu inter vomitum parvo & irregulari, post vomitum vero aequali, molli, fere naturali (*c*).

7.

Alvus plerumque obstructa, neque facile crises prius expectandae, quam laxata parum atque naturali statui similior fuerit (*d*). Non desunt tamen observationes, ubi typhus hic vel deiectionibus biliosis assiduis (*e*), vel aquosis, spumosis excrementis, quae sono quodam peculiari eliminarentur, stipatus fuerit (*f*).

(*a*) MAKITTRICK p. 91.
(*b*) IACKSON p. 258.
(*c*) BISSET p. 19. --- SCHOTTE p. 48. --- LIND p. 131.
(*d*) LIND l. c. CAREY l. c.
(*e*) ROUPPE p. 304.
(*f*) CHALMER p. 159.

Lingua parum mutata, media parte plerumque alba esse solet (*a*): aut omnino muco obducta, aut arida, russa vel scabrosa. Urina, quae in tropicis regionibus tantum non semper magis saturata observatur, quam in frigidioribus climatibus in hoc quoque morbo flammea est, aut flavida, turbida, neque sedimento manifesto praedita (*b*). Quandoque stranguria intercipi urinam, SCHOTTIUS observavit in epidemia maligna febris flavae (*c*).

Facies tumida, rubra; genis, labiorumque angulis pallido aut lurido limbo cinctis, ut putredinem subesse facile ex hoc unico signo divinaveris: nonnunquam lurida, solis oculorum tunicis obscuro rubore suffusis. Ex ipso faciei aspectu insolito, pathognomonico, qui anxietatem exprimere possit, morbi naturam dignoscere audet BLANDIUS (*d*).

Anxietas haec iactationes frequens, suspiria assidua, & respirationis summam difficultatem producit, quae perstant ad acmen usque morbi. Dyspnoea eadem facillime posset argumentum exhibere, quod ad pneumoniam concludere iuberet, nisi manifesto remitteret, neque assiduo perciperetur, sicut in pneumo-

(*a*) BISSET p. 18.
(*b*) HUNTER p. 61. --- LIND. p. 126. 253.
(*c*) P. 52.
(*d*) P. 305.

nia fieri solet (*a*). Notandum tamen, non raro pleuriticos dolores in principio adesse, quos praesertim SCHOTTIUS animadvertit (*b*). Dolores, quoque rheumatici, iique vehementes, nullo modo remittentes, in pestilente nuper typho Philadelphiae grassante observabantur.

8.

Somnus vel penitus deest, ideoque & dolores, & proclivitas ad deliria augentur, vel adest in primo stadio status soporosus, cum frigidis extremis & ardore continuo partium internarum, quibus symptomatibus periculum imminere indicatur. Agrypniam vero magis frequentem, imo maxime commune esse BLANIUS (*c*) & SCHOTTIUS (*d*) contendunt. Sitis haud extinguenda, quae vero, licet potus copiosissimos ingurgitare aegrum cogat, cutis madorem nunquam producit, sed arida semper ac ardens manet corporis superficies. Animus melancholia vera saepius afficitur: abiectio saltem animi & timor mortis perpetuus adest, quod malum morbi eventum manifesto praesagit (*e*).

(*a*) HUNTER p. 59.
(*b*) P. 49.
(*c*) P. 306.
(*d*) P. 52.
(*e*) BISSET p. 19. 31.

Sanguis, hac periodo ex vena miſſus, laete plerumque rubet, ut cinnabarin aequet, sed sero deſtituitur: craſſamentum ipsum vix cohaeret, maculis luridis obtegitur, ſimul ac frigidum evaserit, aſſumit flavidum colorem (*a*). Nulla praeterea cruſta phlogiſtica obtegitur, serumque ſi unquam secedit, flavicundo colore tingitur (*b*).

9.

Stadium secundum.

Accedo iam ad alterum ſtadium, quod incipit, ſimulac albuginea luteum colorem adipiscitur. Hoc tertio die fieri in caſibus regularibus, BISSETI docet observatio (*c*). Stadium vero primum quod inflammatoriis plerumque symptomatibus ſtipatur, a secundo, ubi depravatio humorum praedominatur, aegre diſtin-

(*a*) MOULTRIE p. 170. --- BRUCE apud LIND p. 254. --- ROUPPE p. 306. --- HILLARY p. 179. --- SCHOTTE p. 52.

(*b*) HUGHES p. 36. --- MOSELEY p. 343. --- LINING p. 378.

(*c*) P. 20. --- MOULTRIE p. 167. --- MAKITTRICK p. 92. --- HILLARY p. 178. --- MOSELEY p. 332.

diſtingui poſſe, varii boni Observatores ediſſerunt (a). Hoc vero fieri in variis morbis malignis, quae ipsorum & malignitas, noſtrates quoque epidemiae oſtendunt: quid quod LINDIUS, sua edoctus experientia, contendat, quovis fere minuto primo mutare morbum faciem suam (b).

Simulac vero albuginea, antea rubore profundo suffusa, flavescere incipit, febris remittere, cephalalgia & oculorum ardor diminui, ipseque cutis calor intensus evanescere solent (c). Pulsus vero magis etiam deprimitur, imo saepius penitus deficit, intermittit aut vermicularis evadit. Vires amplius labefactantur, ut ſine tremore erigere manum, nedum elevare totum corpus aegri nequeant.

Interea flavus color per totam vultus superficiem pervagatur, deinde tota cutis superficies eo perfunditur. Initio verus icterus adeſſe videtur: deinde vero bruneum colorem aſſumit, atque, maxime circa labia & oculos, atras maculas latas ac magnas producit, quae in nupera epidemia Philadelphica nonnunquam

(a) MAKITTRICK p. 131. --- RAIT p. 45.
(b) P. 182.
(c) ROUPPE. CAREY. BISSET. POUPPE' DES PORTES.

post morbum superatum remanebant. Luteus hic, aut flavo-bruneus color per totum morbi decursum fere nunquam penitus evanescit, sed permanet ad ultimum vitae halitum, neque critici aliquid secum affert, ficut postea pluribus docebitur.

10.

Excrementa argillacea, colore suo sueto destituta fuisse, notat CAREYUS, quae indoles excretionum alvinarum in nostratibus quoque icteris adesse solet. Urina vero antea iam lutea, flammea & saturata, multo magis turbida, brunea & nigredini vicina apparet. Lingua fit brunea, fascia longitudinali atra obducitur; aut fissa apparet & sulcis atris obsidetur.

Cutis, ictero deturpata, vel siccissima semper manet, vel sudoribus gelidis, gelatinosis, guttatim prorumpentibus, mucum quemdam tenacem referentibus obducitur. Neque adest pruritus, quem in nostro ictero fere semper deprehendere solemus.

Accedunt epistaxes, quae in Philadelphico typho pestilenti, absque ullo tamen levamine, fere semper adesse solebant. Gingivarum simul apparent tumores spongiosi, quibus erumpit sanguis tetro colore & odore praeditus; ficut etiam ex palato & faucibus

saepius sanguis ater, fluidus tamen, stillare visus est (*a*). Haemorrhagiae deinde observantur, ex variis organis & cum ipso sudore (*b*). Ipsa denique vesicatoria applicata producunt haemorrhagias ex locis, quibus admota fuerant. Huiusmodi tamen haemorrhagias nonnunquam penitus deesse, atque, dum apparent, ex singulari atmosphaerae corruptione originem ducere, LINDIUS (*c*) docuit: neque unquam in Iamaica se reperire easdem potuisse HUNTERUS affirmat (*d*).

II.

Debilitas nervosa, quae hoc quidem stadio praedominatur, manifestatur quoque comatosis affectibus, qui iam magis continui esse solent, neque interrumpuntur nisi stuporibus & deliriis mitibus, taciturnis. In ipsis soporibus pulsus vermicularis & intermittens, frigida extrema, ardores partium internarum, hypophases oculorum, tanquam mali ominis signa. Deliria nonnunquam ferocia, ut incre-

(*a*) IACKSON p. 258. — BISSET p. 19.
(*b*) GHALMER p. 159.
(*c*) P. 128.
(*d*) P. 59.

dibili modo vincant robur musculorum naturale. Sic Philadelphiae incolae, hac peste correpti, noctu lectis egressi, circumvagabantur per urbis plateas, & secum terrorem ubique & mortis metum afferebant. Non raro post ipsam crisin ea superest mentis perturbatio, ut neque audire, neque videre secundum leges sanitatis potuerint, ut imaginationibus maxime alienis & terrificis excruciarentur (*a*). Quod delirium, quanquam in plerisque casibus adsit, nonnunquam tamen penitus deficere visum est (*b*). Eius loco apathia & summa animi abiectio, aut visus obnubilatio, surditas, ceterorumque sensum torpores saepissime manifesta fatuitas, aderant (*c*). Accedunt animi deliquia, quae haemorrhagias passivas alioquin plerumque sequi solent, atque exitum praesagiunt (*d*).

Convulsivi quoque varii affectus, velut strabismus, rotatio oculorum, stridor dentium, singultus assidui, tremores & subsultus tendinum totius corporis, pavores sub somno, subitaeque concussiones corporis, praesertim vero dysphagia, seu spasmus gulae, hygro-

(*a*) RAIT p. 44.
(*b*) BLANE p. 308.
(*c*) CHALMER p. 159.
(*d*) ROUPPE l. c.

phobiae similis; quae symptomata omnia exhaustarum virium ultimos esse conatus indigitant. Hae quidem convulsiones in quibusdam epidemiis intra primum nychthemeron sequi visae sunt, ubi celerrimum morbi decursum praesagirent (*a*).

12.

Anxietas circa praecordia, tumor tensus eorumdem; dolores continui ac summa sensilitas per hoc etiam stadium fere nunquam cessant, si modo aeger sui & suarum sensationum fuerit conscius, atque, loquelae capax, potuerit easdem indicare. Saepius vero, dum stupidus & attonitus iacet, atque ne verbum quidem proferre valet, hos dolores & angores continuare divinaveris ex sensilitate praecordiorum, quae ne minimum quidem tactum ferre possunt, atque ex assidua iactatione aegri & ex eo quod abdomini incubet. Ad ultimum vitae halitum usque in plerisque non cessat haec sensilitas, sed perpetuis clamoribus, iactationibus & vomituritionibus manifestatur.

(*a*) ISERT p. 259.

13.

Stadium tertium.

Quamvis hoc tertium ſtadium haud raro penitus deſit, ut LINDIUS perhibere potuerit, eadem ratione sese habere ad febrem flavam, qua ſingultus ad dysenteriam, aut maculae ad variolas; nihilominus verum eſt, nonnullas epidemias absque hoc tertio ſtadio decursum suum celebrare non poſſe, sed perpetuum adiunctum idem habere (*a*). Non raro miliaria exanthemata observabantur ante vomitus eruptionem, quae vero nihil decernere, sed periculum adhuc augere visa sunt (*b*). Tunc vomitus ipse sequebatur, ater, turbidus, foetidus, sedimento decocti coffeae ſimillimus, ex moleculis flocculentis nigrae bilis cum muco ventriculi abraso conflatus, eiusque modi materia per alvum quoque eliminabatur. Simul urina vel penitus nigra, vel brunea, flavoque colore aut potius croceo linteum & chartam immersam tingens. Nonnunquam progreſſu morbi, loco atrae ma-

(*a*) BLANE p. 306.
(*b*) ISERT l. c.

teriae, glutinosae sordes, eaedemque foetidae evomebantur (*a*).

Interea convulsiones, singultus, subsultus tendinum magis adhuc vigebant, vires amplius labefactabantur, stupor mentis atque soporosi affectus in apoplexiam transire videbantur: &, quod plerumque letiferum apparebat signum, maculae lividae, atrae, petechiarum forma, seu ecchymomatum specie, per totum corpus sparsae proveniebant. Saepius quoque furunculis stipatae erant, qui facile in gangraenam terminabantur. Gangraena varias corporis partes postremo corripi, non rara est observatio, quam HUNTERUS praesertim confirmavit, dum totum saepius scrotum destrui gangraena animadvertit (*b*). Nonnunquam ultimis morbi diebus penitus cessare dolorem praecordiorum atque sensilitatem observatum est: aegri attoniti, stertentes, aperto ore, diductis naribus, mortuis similes iacent, atque insciis ipsis excrementa per alvum & urethram secedunt: licet quandoque delirium ferox denique accedat (*c*).

(*a*) IACKSON p. 263.
(*b*) P. 97.
(*c*) BISSET p. 22.

14.

Morbi tempus & transitus in alios.

Tali modo typhus hic flavus decurrere solet intra quinque aut octo dies, ut ad primum stadium tres aut duo, ad alterum totidem & ad tertium nychthemeron pertineant (*a*). Non raro vero multo celerius progreditur, praesertim, dum variae caussae occasionales una concurrunt: ibi enim aegros intra nychthemeron unicum praecipitare potest (*b*). Ita in nupera epidemia, quae Philadelphiae grassabatur, aegrorum non pauci sanitatis summo flore vigentes cubitum iverunt, experrecti vero morti iam propinqui videbantur. Ita ISERTUS vidit plerumque intra quadraginta octo horas morbum esse morte terminatum.

Dum inflammatoria symptomata primo stadio haud adeo vigebant, observatus est diuturnior saepius morbi decursus (*c*). Ad decimum quartum usque diem sub his aspectibus protractum vidit MAKITTRICKIUS. Cum enim morbus talem genium assumsisset, aeger

(*a*) LINING p. 379.
(*b*) POUPPE' DES PORTES p. 53.
(*c*) POISSONNIER DESPERRIERES p. 280.

interdum adſtantibus leviore tantum febre occupatus eſſe videbatur. Talibus plerumque deerat anxietas graviſſima, dolorque praecordiorum adeo inſignis ac sub altera specie: neque inſigniter adaugebatur hepatis moles a manu contrectante; vomitus non adeo conſtans, neque ineunte modo gravis; pulsus in ipſis initiis tardus, mollis, plenus; & colore ferrugineo potius quam flavedine splendida summum corpus iis erat imbutum (*a*). Eiusmodi lentior febris dysenteriis ſtipari aut in easdem tranſire, tranſire etiam in hydropes & tumores hypochondriorum solebat (*b*): ſicut tranſitus eiusdem in morbos remittentes & intermittentes perniciosos non semel eſt observatus (*c*).

15.

Anomala morbi forma.

Eiusmodi morbus, qui saepius ſtationariae epidemiae specie apparet, ex atmosphaerae conditione, ceterisque cauſſis universalibus diversum recipit genium, quod primus

---

(*a*) MAKITTRICK p. 132.
(*b*) HUNTER p. 68. 69.
(*c*) BISSET p. 29.

POUPPEUS egregie docuit. Namque hyeme anni 1739. typhum hunc crebris parotidibus & abscessibus ad crura concomitatum fuisse observavit: frequentissime parotides diarrhoeam indicabant, imo hac cessante, iterum redierunt: quare purgantibus atque applicatis topicis emollientibus easdem tractare oportebat (*a*). Praeterea speciem benignam describit idem Auctor, quae sine ictero decurrit, atque nullis stipatur aliis periculosis symptomatibus, sed, diebus aliquot praeterlapsis, diarrhoea aut sudoribus calidis, universalibus terminatur (*b*). Tempestate quoque sicca frequentiora esse deliria, capitis gravitatem & dolorem: humida vero frequentiores esse haemorrhagias ac sudores colliquativos, cruentos, idem experientia edoctus docuit (*c*).

Post eum BLANIUS vidit nautas 1781. eo modo hac febre corripi, ut statim in insultu anginam paterentur, quae inter rara omnino symptomata referri debet (*d*). Teneriores quoque atque debiliores homines variis sequenti anno laborare vidit symptomati-

(*a*) POUPPE' p. 94.
(*b*) *Ib.* p. 196.
(*c*) *Ib.* p. 200.
(*d*) P. 305.

bus, dum hac febre corriperentur, quae haud adeo communia esse videbantur (*a*).

16.

IACKSONII *secunda & tertia species*.

Celeberrimus hic Auctor egregie distinxit tres morbi species, quarum primam iam supra descripsimus. Secunda vero destituta penitus aut rarissime praedita affectu ictericio & vomitu atro, nervosum systema magis corripere videtur. Horror enim non validus sed diuturnus, cutis calor non insignis, languor, debilitas, capitis temulentia & dolor atrocissimus, anxietas praecordiorum intolerabilis primo morbi insultu adsunt; &, quamquam aliquamdiu cessent, crudelius adhuc iterum recurrere solent. Pulsus semper parvus, compressus, debilis, in remissionibus quidem plenior atque altior evadit, sed deinde ad priorem demergitur parvitatem atque spasticam indolem. Vomitus adsunt assidui, neque tamen virides, neque atri: ea tantummodo evomuntur, quae assumpta erant. Obstructio pertinacissima, aut diarrhoea dysenteriae speciem prae se ferens, secum invicem alternant.

(*a*) P. 311.

Tertia morbi species, quam recenset IACKSONIUS, magis praedominantibus ſtipatur inflammatoriis symptomatibus, pulsu multo validiori, calore vehementiori, dyspnoea moleſtiori, inflatione vultus & deliriis magis ferocibus: sed complicationes amat, ideoque tranſit multo facilius in ſtatum putridum. Haec forsan ultima species nihil eſt, niſi vulgaris typhus tropicus in subiectis sanguineis & irritabilibus occurrens, qui ob eam rationem vehementia maiori symptomatum in initio fungitur.

Nuperis vero observationibus, Philadelphiae inſtitutis, diſtinctio, quam IACKSONIUS proposuit, egregie confirmabatur. CAREYUS enim binas varietates describit, quae a vulgari morbi indole recedebant, & vel inflammatoriis tantum vel nervoſis symptomatibus solis ſtipabantur, neque adeo aſſiduus in utroque casu apparebat cutis color flavidus neque vomitus niger.

17.

Prognoſis huius morbi.

Difficultate haud vulgari involvuntur praesagia eventus, quae in hac febre formari possunt, cuius maligna natura impedire quamlibet criſin videtur. LININGIUS iam critica

fere nulla symptomata observaſſe se confitebatur (*a*), quod SCHOTTIUS ita confirmavit, ut a morte liberare aegros in epidemia a se observata paene impoſſibile dixerit, atque quemvis aegrum quarto aut quinto die e vivis egredi observaverit (*b*).

Speciatim vero in subiectorum diverſitate versatur prognoſis. In Philadelphica epidemia ii fere nunquam servabantur, qui plethorico, sanguineo, robuſto habitu praediti, luxurioſa diaeta atque variis abuſibus vini & coitus peccaverant. Publicae mulieres praeprimis periclitabantur, & pauperiores homines, qui robore maiori corporis antea gaviſi fuerant. Robuſtiores homines plus pati atque facilius hac febre moriri, a MOULTRIEO (*c*) & POUPPEO (*d*) iam observatum fuit.

Anni aetatem multum conferre ad bonam vel malam morbi terminationem, docet etiam observatio OLDENDORPII, qui multo maius adeſſe periculum in febre advenarum, qui menſibus calidiſſimis aut humidis, Septembri & Octobri, in Indiam occidentalem deportati fuerunt, quam alioquin, contendit (*e*).

(*a*) P. 370.
(*b*) P. 47.
(*c*) P. 179.
(*d*) P. 194.
(*e*) P. 233.

Quod attinet ad febrem ipsam, ex remissione magis aut minus notabili eventum praesagire saepius licet. Quo manifestius enim sentitur remissio, eo lentior erit morbus: quo magis vero continua est febris, eo celerior erit progressus, ut intra sex, aut quatuor dies, aut intra nychthemeron apoplexia aegrum enecare visa sit (*a*).

18.

Quaeritur, an icterus aliquam salutis spem unquam excitare possit? Plerique Auctores consentiunt, flavum cutis colorem esse prodromum eventus funesti, neque aliquid emolumenti inde exspectari posse (*b*). MOSELEYUS vero, licet alio loco eodem modo indicaverit, alio tamen icterum symptomaticum a critico discriminat, atque hunc sequi debere quietem sine languore, transpirationem calidam & universalem docet: symptomaticum vero excipere nauseam, vomituritionem, pulsus depressionem & sudores colliquativos (*c*). Aliam notam characteristicam, qua symptomaticus a critico ictero possit distingui, propo-

(*a*) BISSET p. 24.
(*b*) POUPPE' p. 200. --- IACKSON p. 271.
(*c*) P. 367.

nit BISSETUS: multo nempe magis saturatum colorem esse critici quam symptomatici, septem quoque vel octo dies post crisim perdurare, deinde vero evanescere (*a*). Idem observavit, sudores nonnunquam calidos, & universales icterum excipere, sed absque ullo levamine (*b*), quod MAKITTRICKIUS confirmat (*c*). Generatim vero assumendum, quod eo peius signum icterus praebeat, quo citius apparet (*d*). Si enim post septimum diem cutis tandem flava evadit, omnem haud adeo malum erit, dummodo cetera adsint signa salutaria (*e*).

Deiectiones nonnunquam crisin constituere visae sunt, namque, etiamsi atrae essent, anxietatem mirum quantum minuebant, & ita aegrum sanitati restituebant (*f*). Imo in ipsa pestilenti epidemia, quam SCHOTTIUS observavit, deiectiones tamen alvinae crisin quandam constituere videbantur (*g*). Oportet tamen, flavedo cutis ne praegressa fuerit talem

(*a*) P. 29.
(*b*) P. 31.
(*c*) P. 134.
(*d*) HILLARY p. 178. --- MAKITTRICK p. 133. --- MOULTRIE p. 179.
(*e*) ROUPPE p. 305. --- BRUCE apud LIND p. 254.
(*f*) LIND p. 245.
(*g*) P. 73.

diarrhoeam, siquidem ante icterum tantummodo decernere potest morbum, post eum vero nequaquam (*a*).

19.

Ex urina autem decretoria signa non eo modo in climatibus calidis desumi possunt, quo apud nostrates iis fidere solemus, siquidem sedimento fere nullo praeditae esse urinae in tropicis regionibus solent (*b*). Critica tamen urina in hoc typho viridi colore obducta esse visa est (*c*): & BISSETUS affirmat, se sedimentum albo-flavidum crisin praesagiens in hoc morbo observasse (*d*).

Cutis mador, praesertim die septimo, cum aliis bonis praesagiis, optimum format signum (*e*). Necesse autem est, antecesserit epistaxis & sequatur denique sudorem ictericius color: hoc enim ordine si signa sibi invicem succedunt, optimo modo morbus decurrit (*f*). Sudor quoque fit universalis, vapori-

(*a*) MOULTRIE p. 179.
(*b*) BLANE p. 309.
(*c*) POUPPE' p. 192.
(*d*) P. 28.
(*e*) LIND p. 268. --- BISSET p. 28.
(*f*) MOULTRIE p. 179. MOSELEY p. 346.

vaporibus calidis ex tota corporis superficie exhalantibus ſtipatus, neque partialis tantum, neque gelidus, neque glutinosus. Quodſi cum tali critico sudore puſtulae erumpunt, aut miliaria exanthemata crebria & dolores capitis vehementes minuuntur, & criſis melius praeparatur: praesertim vero exánthemata circa labia erumpentia in hoc morbo aeque salutaria visa sunt, ac in febre tertiana (*a*).

20.

Narium haemorrhagia in primo morbi ſtadio, ſi copiosa fuerit, morbum salutari modo terminare poteſt; ſi vero parca, neque alio modo niſi ſtillatim erumpit sanguis, periculum adhuc augere videtur; tunc enim ſignum eſt decretorium non decernens (*b*). POUPPEUS praesertim observavit epidemicum talem typhum in insula S. Dominici 1747. graſſantem, ubi narium haemorrhagia fere omnes crises perficiebantur: neque tamen sanguis ex aliis partibus prorumpens, aliquid critici secum afferre potuit (*c*). Hinc quo-

(*a*) LIND p. 268. --- BLAND p. 308. --- MOSELEY p. 346.
(*b*) SCHOTTE p. 61. --- MOSELEY p. 345.
(*c*) P. 168.

que bono cum successu iugularium venarum sectionem in talibus casibus administratam viderunt. Dum humida est atmosphaera, frequentissimas esse crises per narium haemorrhagiam, idem Auctor expertus est (a).

Tempestate autem sicca, per carbunculos potius, aut per parotidum tumores, aut demum per gangraenam id evacuatur, quod corporis sanitati infestum erat (b). Raro decernitur morbus ope salivationis, quam crisin bis tantum se animadvertere meminit bonus Observator (c).

Quodsi febris exacerbatio, quae septimo accidit die, fortissima est; si animi vires parum perturbatae fuerunt; si remissio manifesta & diebus imparibus primis paroxysmi solito violentiores; si cutis madida fuit, neque ullum adfuit icteri indicium; si aeger multum conqueritur, ideoque elucet, actionem systematis nervosi haudquaquam esse magnopere labefactatam; si pulsus eo magis evolvitur, quo propior est dies septimus; spes concipienda fore, ut aeger servetur: maxime, si ad finem paroxysmi septimi ad se redit, neque hebetudo sensuum ipsum invadit; si vomitus eva-

(a) P. 201.
(b) POUPPE' ib. — LIND p. 268.
(c) MAKITTRICK p. 134.

nescit & respiratio eam difficultatem non patitur; crisis certo sequi debet (*a*).

21.

Signa funesta plura iam supra indicavimus. Notatu inprimis dignum videtur, ex pulsus indole fere nullum sanitatis futurae indicium desumi posse, cum summa eiusdem regularitas, cum bono appetitu, febre non sentienda, sed apathia aegri & abiectione animi mortem certam annunciare visa sit (*b*). Saepissime pulsus frequentia eo magis decrescit, quo maius periculum imminet, ut paullo ante mortem quadraginta tantum ictus in minuto primo deprehendere potueris (*c*). Haec raritas pulsus maxime perniciosa, si cutis semper arida manet & squamosa. Quo enim aridior cutis & quo magis sanguine quasi suffusa esse videtur, eo minor spes concipienda, siquidem mortem fere semper insequi observatum est (*d*). Si praeprimis cum arida cute vomitus quotidie perseverarint, si albuginea & tota cutis flavedine obsessa iam primis diebus apparuerint, si pulsus constrictus est parvus, sitis

(*a*) BAION p. 27.
(*b*) HILLARY p. 179. — BISSET p. 28.
(*c*) BLANE p. 309.
(*d*) ISERT p. 261.

intensa & convulsiones musculorum pertinaces fuerint, aeger ipsa septimi diei exacerbatione extingui solet (*a*).

Quo fortior pulsus, quo maior anxietas & respirandi simul difficultas, eo citior funestus exitus expectatur. Vomitus ater certissimum mortis praesagium, quod viginti vel viginti quatuor horis illam praegredi solet (*b*). Funestum quoque exitum praesagiunt maculae lividae per totum corpus aut per solos artus sparsae; singultus cum pulsu regulari vel potius lento; delirium mite, studiosum; extremitatum frigus; ischuria; horrores perpetuo recurrentes cum tendinum subsultibus & praecordiorum palpitatione &c.

22.

Cadaverum sectiones.

Ut morbi descriptioni nihil desit, addam observationes Auctorum, qui intestina hominum hac febre mortuorum perscrutati sunt. Quanquam enim ex his observationibus immediate ad morbi naturam & caussam proximam concludere nequeamus, non possumus tamen quin concedamus, multum lucis inde ad morbi

(*a*) BAION p. 26.
(*b*) MAKITTRICK p. 133. — BISSET p. 86. — BLANE p. 305.

caussas propiores explicandas afferri, atque symptomatum non parvam copiam inde posse declarari.

Cadavera primum citissime putrescere, maculisque atris suffundi, quae maxime circa praecordia & in regione epigastrica appareant, ab omnibus Auctoribus observatum est, quotquot unquam hunc morbum viderunt. Tela adiposa flavo, imo aureo colore tincta, atque omentum plerumque flavo-viride apparuit (*a*): nonnumquam vero omentum quasi exsiccatum & gryseo colore imbutum videbatur (*b*). Ventriculus & intestina aureo colore tincta, plerumque inflammationibus gangraenosis & maculis lividis obsessa deprehensa sunt: simul atra materies in ipsa regurgitaverat (*c*). Nonnunquam intestina videbantur atro-flavis maculis obsessa, absque tamen inflammationis praegressae indiciis. Tales enim maculas saepenumero post mortem hominum conspicimus, qui morbis acutis erepti fuerunt, neque tamen inde statim ad inflammatoriam naturam mor-

(*a*) BISSET p. 42.
(*b*) IACKSON p. 264.
(*c*) POUPPE' p. 202. — HUME p. 300. — HILLARY p. 181. — MOULTRIE p. 168. — LIND p. 132. — MOSELEY p. 337. — IACKSON p. 265.

borum praegressorum concludere licet. Tali itaque modo explicandum venit phaenomenon, quod tanquam miraculum considerat POUPPEUS, quod nempe aegri, praesente morbo, nullum enteritidis monstraverint indicium, & tamen post mortem maculae repertae sint gangraenosae per totum tractum intestinorum dispersae. Vacua fuisse vasa intestinorum & collapsa in his casibus, confirmat opinionem, quod nulla, vivis aegris, adfuerit vera intestinorum inflammatio. Ipsa quoque vena cava arcta, multo minori lumine conspicua, saepius vero collapsa apparuit. Intestina saepenumero vermibus scatebant, plerumque vero atroviridi saburra, tetrum foetorem spirante (*a*). Hydatides non semel visae sunt ad peritonaeum, in superiore parte mesocoli, ad coniunctionem duodeni & coli in omento haerentes. Peritonaei vasa nonnunquam summo turgore conspicua, sicut & mesenterium magnopere rubens, sanguine in omnia eius vasa effuso (*b*).

Hepar maxime inflammatum & in molem duplo maiorem tumefactum; scalpello incisum sanguinem atrum, fluidum stillavit; pars concava lurida & gangraenosa. Vesicae fel-

(*a*) BISSET p. 44. — MAKITTRICK p. 95.
(*b*) BISSET p. 48.

leae bilis spissa, nigra, ductus choledochus eadem bile obstructus, quae cum acido vitrioli vehementer effervescebat (*a*). Nonnunquam vero, praeter bruneum colorem, nihil in hepate invenitur, quod inflammationem peculiaris huius organi adfuisse commonstrat. Videtur hic defectus praeternaturalis formae hepatis repertus fuisse in iis casibus, ubi benigna morbi species, quam POUPPEUS describit, aut secunda species IACKSONII, adfuerant. Quod cum MOSELEYUS saepius animadverterit, argumentum inde desumit pro confirmanda sua opinione, quod nimirum hepar in hoc morbo haud aliter patiatur, ac in aliis morbis, qui in climatibus calidis observantur & plerumque hepar afficiunt (*b*). Videtur tamen mihi clarissimus Auctor in hoc errasse, quod leniores morbi species, ubi hepatis inflammationes haud adsunt, crediderit totius morbi naturam explicare posse, cum tamen exceptiones regulae esse videantur.

23.

Inflammatio hepatis ad lienem quoque propagatur, qui mole auctus, tumidus & ta-

---

(*a*) MOULTRIE p. 168. — HILLARY p. 101. — IACKSON p. 264.
(*b*) P. 339.

bidus saepenumero apparet (a) : quin ipsa urinae vesica non raro inflammata visa sit & repleta lotio foetido, atro & spisso, quale ante mortem in his casibus excerneretur (b).

Quod ad contenta thoracis attinet, pulmones maculis similibus atris & lividis obsessi erant, quae in intestinis reperiebantur (c). Pericardium carebat humore suo, ventriculus & atrium cordis dextrum turgebant atro sanguine, saepius quoque hydatides in ventriculis cordis repertae sunt (d).

POUPPEUS invenisse se inflammationem menyngum, quae ad medullarem usque substantiam penetraverat, testatur (e).

24.

Diagnosis.

Quodsi regularis est hic morbus, facile distinguitur a ceteris febribus remittentibus, quae in India occidentali occurrunt. Neque enim in his tam cita virium prostratio, neque ardor praecordiorum, neque vomituritio-

(a) IACKSON p. 264.
(b) MOULTRIE p. 168.
(c) MOULTRIE ib.
(d) BISSET p. 52.
(e) P. 203.

nes adeo assiduae, neque flavus cutis color, neque vomitus niger. Verum tamen est, luteum hunc colorem ad varias febrium remittentium, imo intermittentium species, quae in India occidentali occurrunt, tanquam symptoma accedere, quo facto tamen eiusmodi febres flavarum nomine haudquaquam insigniendae esse videntur, donec cetera huius typhi adiungantur symptomata (*a*). Ubi lentior morbus est, a nostris febribus biliosis aut nervosis aegre distinguitur; sicut CHEVALERIUS expertus est, in insula S. Dominici morbum hunc solo insigniori gravitatis gradu, aut malignitate differre a febribus autumnalibus vulgaribus, quae in Gallia grassari solent (*b*). HUCKII testimonio edoctus summus PRINGLIUS affirmavit, a nostris biliosis febribus febrem flavam Americanam solo gradu tantum differre (*c*).

Caussae itaque peculiares, quae deinde enumerabuntur, quaeque maxime in India occidentali obveniunt, oribundae huic febri occasionem praebent. Hae caussae, si in aliis regionibus eodem modo occurrant, febris flava etiam extra Americam observari potest: quod

(*a*) LIND p. 131.
(*b*) LIND p. 133.
(*c*) P. 197.

plures egregiorum Auctorum animadversiones testantur.

25.

Febris flava extra Indiam occidentalem observata.

HALLERUS historiam epidemiae nervosae narrat, quae 1762. in ditione Bernensi post calidissimam aestatem, ubi thermometrum Fahrenheitianum saepe gradum centesimum trigesimum in aprico monstraverat, grassata fuerit. Quaecunque subiecta hac febre correpta, post languorem & temulentiam capitis, icterum patiebantur, ceteris flavae febris symptomatibus iunctum: solae evacuationes alvinae & acida mineralia effectus egregios praestabant (*a*).

In regno Mexicano febris flava non raro occurrit. Anno 1769. in ipsa California saeviebat, dum CHAPPIUS D' AUTEROCHE eo appellabatur. Iam tertia pars incolarum oppidi Sancti Iosephi, ubi domicilium suum erigere constituerat, morte erepti erant. Ipse denique cum reliquis sociis morbo corripitur, & Iunii die decimo octavo eius anni e vivis secedit (*b*).

(*a*) Opera min. Vol. III. Obs. 70. p. 372.
(*b*) CHAPPE D'AUTEROCHE p. 41.

Vinariae, anno 1772., sparsim apparuit hic typhus, pedissequus epidemiae petechialis, ubi deliriis, haemorrhagiis & vomitu nigro stipatus erat (*a*). Putridae denique febris socius fuit Viennae 1777., ubi a CLOSSETO egregie observatus & descriptus est (*b*). Sic quoque Gadibus 1764. orta est haec febris a nimis coacervatis navibus in portu & a corruptione aëris inde producta (*c*) (*).

26.

An Causi veterum species?

Cum itaque extra tropicas etiam regiones dominium suum haec febris extendat, haud inficiandum esse arbitror, sub veterum *causo* aliquando latitasse febrem flavam. Symptomata enim plura, quae veteres recensent

---

(*a*) BUCHOLZ p. *63. 64.*
(*b*) P. *68.*
(*c*) LIND p. 132.
(*) Febrem nervosam flavam tractavi duobus abhinc annis in Clinico Instituto Ticinensi in homine quodam regionis paludosae incola. Morbus cortice peruviano, aliisque excitantibus remediis intra breve temporis spatium felici cum eventu superatus fuit. Historiam fusius dedi in *Annotazioni medico-pratiche ec. Parte prima*, *Cap. I.*, *Classe terza*, *Piressie*, *e Febbri continue*, *e semplici* (*Editor*).

in historia *causi*, febri flavae maxime propria sunt, praecipue vomitus ater, deiectiones atrae, vomituritiones assiduae & sensibilitas ventriculi, aurigo & repentina intra octo dies mors (*a*). Haec opinio, a MOSELEYO primo & fusius quidem prolata, eo tamen sensu confirmari atque definiri potest, ut varietatem *causi* tantum assumamus febrem flavam: alioquin varia, quae pertinent ad *causum* in febre Americana desiderantur, e. g. rigor, qui saepius *causum* (Aph. IV. 59.) solvere solebat, qui vero in typho nostro plerumque deficit.

27.

Caussae occasionales.

Accingo me iam ad theoriae huius morbi investigationem, quae, quamvis multis prematur difficultatibus, videtur tamen lucis non parum obtinere ex cadaverum sectionibus & ex manifestis caussis remotis, quae in climate, atmosphaera & ventis Indiae occidentalis, ubi endemius est hic morbus, versantur.

India occidentalis, seu archipelagus insularum Bahamensium, Cubae, Iamaicae, S.

(*a*) LOMM. p. 26. 27.

Dominici, & Porto-ricco, Antillinarum, minorum seu Caraibicarum, quae finum Mexicanum a parte orientali cingunt, extenditur a decimo gradu latitudinis borealis ad vigefimum septimum usque, zonae torridae itaque tanquam pars confideratur. Hinc calor enormis per totam Indiam occidentalem dominatur, maxime vero menfibus Augufto & Septembri, ubi mercurius fere nunquam infra nonagefimum thermometri gradum descendit (*a*). Tali caloris gradu teneritudinem, debilitatem solidorum debere infigniter augeri, ex variis observationibus patet. Pallor faciei & deminutio naturalis temperiei sequitur neceffario debilitatem virium sanguinem moventium & reliquarum, quae actionibus corporeis praesunt. Insulae Curaffoae incolae hoc maxime demonftrant, cum temperies ipsorum temperie advenarum fit tribus aut quatuor gradibus minor (*b*). Ob nimiam irritabilitatem, quae teneritudinem sequitur, convulfiones tam dirae a leviffimo quovis vulnere incolas Indiae occidentalis corripiunt. Hinc quoque refrigeria adeo frequentia & funefta; quamvis enim atmosphaerae temperies nocturna haud multum differat in calidis menfibus a diurna, atque quinque

(*a*) EDWARDS p. 10.
(*b*) TITSINGH p. 381.

vel sex gradibus tantum ea minor sit; periculum tamen ingens metuendum, si quis aëre vespertino in tam calido atque humido climate fruatur (*a*).

Humiditas enim aëris excedit in hac terrarum parte omnem fere fidem, praesertim mensibus Augusto, Septembri & Octobri. Ob hanc aëris humiditatem armentis & ovibus raro aut nunquam in Iamaica & S. Dominici insula potus praebetur, cum satis humorum resorbeant per cutem. Hinc rubigine ferrea omnia instrumenta, & vestimenta & panis multo celerius mucore afficiuntur, quam in aliis regionibus. Accedit paludum atque inundatorum locorum copia, quibus insulae omnes Indiae occidentalis scatent, cum oryzae & sacchari cultus paludosa loca requirat. Ex effluviis harum paludum merito ortus morbi huius partim derivatur (*b*). Simul tamen ad nimium calorem respici debet, qui pluviosam tempestatem praegredi solet, ubi tanta aquae copia terra saepe inundatur, ut septuaginta sex pollices exaequet per annum vulgaris tempestatis (*c*). Quo humilior insuper regio esse solet, eo magis huic morbo obnoxia est, quod de

(*a*) LUFFMANN p. 12.
(*b*) MOULTRIE p. 169.
(*c*) EDWARDS p. 50.

Cuba praeprimis valet (*a*). Iamaica vero, montibus altis & praecipiti ripa praedita, multo minus frequentem occasionem, observandi hanc febrem, praebet. Ita quoque in Guadalupa, altissimo situ super maris superficiem insigni, nunquam fere febris flava observatur. In insula S. Dominici ante quadraginta & quod excurrit annos satis frequens, hodie fere exolevit, postquam paludes exsiccatae sunt (*b*).

28.

Haec quoque est ratio, cur nautae ipsi haud prius laborent hoc morbo, quam appulerint terram, quia paludosa effluvia principem caussam huius morbi constituunt. Dum autem navigia ad ancoram in portubus Indiae occidentalis consistunt, faciliori modo saevitia non vulgari grassari solet febris in nautas, quod eo magis accidit, quo magis portui a ventis cautum est (*c*).

Humiditas aëris omnino multo plus potest ad gignendam febrem flavam facere, quam ipse calor enormis. Vidimus enim saepius, satis mediocri aëris temperie saevissimo tamen

(*a*) Beschryving van eenige Kusten, p. 100.
(*b*) Des moyens &c. p. 30. 32.
(*c*) LIND p. 125. 130. — MOSELEY p. 328. — Des moyens &c. p. 28.

modo graſſari hunc morbum, quod in Carolina auſtrali praecipue MOULTRIEUS observavit, ubi haud ultra quinquageſimum octavum gradum Fahrenh. mercurium aſcendiſſe oſtendit (*a*). Hinc itaque in tranſitu subitaneo Europaeorum ex climatibus ſiccis & frigidioribus in climata torrentia atque humidisſima quaerendam eſſe cauſſam praecipuam huius febris ſingularis, conſentiunt plerique Auctores (*b*).

29.

Eadem aut ſimilis aëris temperies in aliis orbis regionibus requiritur, ſi febris flava apparere debet. Ad ripas fluvii Senegal, quae sub decimo sexto gradu latitudinis borealis ſitae sunt, calor fere nunquam, neque noctu, tantopere decreſcit, ut sub octogeſimum gradum thermometri mercurius deſcendat (*c*). Menſibus Septembri & Octobri inundationes & imbres enormes accidunt cum violentiſſimis ventis, *Tornados* dictis, qui quotidie fere ex quavis coeli parte flare solent. Hinc SCHOTTIUS

(*a*) P. 165.
(*b*) BISSET p. 32. — BLANE p. 304.
(*c*) MATTHEWS p. 27.

TIUS quoque non ſine iure nimiam climatis humiditatem accusat, ut & defectum vegetabilium & recentis victus, ſi peſtilentis typhi cauſſas explicare satagit (*a*). Ex eodem forsan fonte dilucidanda venit cauſſa graviſſimae epidemiae, quae anno praeterito Philadelphiae tantas committeret ſtrages: neque ad corruptos fructus coffeae reſpiciendum, ſicut Medici quidam autumaverunt (*b*).

30.

An autem contagiosus ſit morbus, facile patet ex hiſtoria febris Philadelphicae manuſcripta, quam saepius iam allegavi. Narratur enim ibi, pleroſque aegros probe sciviſſe, unde contagium contraxerint, neque fuiſſe quemquam, qui ſibi caverit ab omni contagio, huic morbo obnoxium. HILLARYUS (*c*), LININGIUS (*d*), SCHOTTIUS (*e*) & alii experientia commonefacti Auctores idem contendunt: quamlibet MOULTRIEUS (*f*)

(*a*) P. 86. 116.
(*b*) CAREY l. c.
(*c*) P. 173.
(*d*) P. 370.
(*e*) P. 15.
(*f*) P. 172.

neget atque perneget contagiosam naturam. Hoc quidem discrimen inde prodire mihi videtur, quod in initio epidemiae, ubi nondum vulgaris est, contagio propagari debet, deinde vero, cum per omnes ſingulosque saevit, contagio non indiget, sed aëris commercio multiplicatur. Peſtilentis epidemiae exemplum luculenter hoc nobis demonstrat.

31.

Cauſſae praedispouentes.

Seminium exſtat naturale ad hunc morbum, quod sexus potior conſtituit. Inter innumeros enim aegros, qui, graſſante epidemia corripiuntur, pauciſſimae tantum sunt mulieres, pauci infantes. Immunes videntur mulieres ob teneriorem, debiliorem ſtructuram, ob victum magis regularem, & ob periodicam sanguinis evacuationem, quae varia arcet mala ex plethora vel ex nimia irritabilitate generata (*a*).

Inter viros magis ii obnoxii sunt huic morbo, qui diaeta lauta uſi sunt, qui plethora & sanguineo temperamento gaudent, qui

(*a*) LIND p. 125. — MOSELEY p. 328. — LINING p. 372. — POUPPE' p. 40.

post labores diuturnos & exercitia vehementia, sub solis ardoribus, se deinde roribus nocturnis exposuerunt, adiecto liquorum spirituosorum abusu; qui in castris venereis sese nimis exercitant, qui denique refrigeria frequentia patiuntur (*a*). Sudamina praeterea aut hidroae, quae quovis fere aequinoctio in tropicis regionibus erumpunt & varios arcent morbos endemios, cavent quoque ab hac febre, ita ut, qui non passi sint sudamina, eo magis obnoxii esse ipsi videantur (*b*).

Incolae ipsi Indiae occidentalis immunes plane sunt huius febris, cum calori atque humiditati atmosphaerae assueti, eoque caloris naturalis gradu privati sint, qui ad hanc febrem requiritur (*c*). Quodsi vero incolae ipsi, ab itineribus maritimis in regiones dissitas reduces, insulas patrias iterum appulerint, possunt omnino hoc quoque advenarum morbo corripi (*d*).

(*a*) Des moyens p. 19. 33. 37. — LIND p. 253. -- BAJON p. 29. -- HILLARY p. 174. -- MOULTRIE p. 169.

(*b*) MOULTRIE p. 171.

(*c*) POUPPE' p. 192. — LINING p. 372. — MOULTRIE p. 165. — HILLARY p. 174. — HUNTER p. 58.

(*d*) IACKSON p. 250.

32.

Caussa proxima.

Symptomatum essentialium cohors, caussae occasionales, cadaverumque sectiones docere videntur, systema gastricum & biliferum irritabilitate iusto maiori pati, quod etiam curationis methodo magis confirmabitur. Verum hepatis inflammationem & ventriculi quanquam semper & ubique adesse nullo modo concedere ausim, status tamen adesse debet inflammationi affinis, qui & bilis secretionem uberiorem & spasticos ventriculi motus &, consensus ope, vehementes producat actiones systematis totius. Haec omnino nimia irritabilitas in climatibus torrentibus & humidis magnopere augeri debet in hominibus non assuetis. Accedunt diaetae & victus vitia, quae maiorem adhuc stimulum systemati gastrico admovere possunt.

Explicanda autem insuper sunt duo symptomata maximi momenti, quae characteristicam huius febris notam constituere vulgo creduntur, icterus puta & vomitus atrabilarius. Icterus, meo quidem iudicio, oritur vel ex impedita bilis in hepate secretione, vel ex impedita secretae bilis excretione, vel ex caus-

ſis generalioribus, salva se-& excretione bilis hepaticae. Bilis iam secretae excretio in tractum inteſtinorum impeditur vitiis organicis in ductu choledocho haerentibus, aut spasmis eumdem contrahentibus, impeditur quoque vitiis inteſtinorum, qui rite bilem suscipere nequeunt. Tunc bilis ope vasorum lymphaticorum in maſſam humorum resorbetur, ibi copia maiori abundat, atque ad cutem producit luteum colorem, quem toties observamus, quoties calculi ductum choledochum coarctant aut spasmi eum occludunt. Alia autem adeſt cauſſa bilis abundantis, in maſſam humorum & ad cutem delatae, secretio nimirum impedita huius laticis, secretio itaque succedanea eiusdem humoris in vaſis cutaneis abundantior. Hic quidem icterus supponit primo vitia organi secretorii, inflammationem, suppurationem, scirrhum, spasmos, calculos, ſteatomata aliaque vitia hepatis & veſicae felleae, quibus functiones biliferi organi suspenduntur. Cum haec adsunt, nulla aut parca tantum bilis copia in proprio organo secernitur, sed alia organa vices eiusdem gerere atque functionem laesam supplere debent. Exſtat enim lex universalis corporis, quod organa symptomatico nexu cohaerentia functiones suas invicem suppleant, atque laesa functione alterius organi, alterum organum secretionem producat succeda-

neam eiusdem aut similis humoris, qui in altero organo secerni debebat, & cuius secretio iam suspensa est. Nulla, si haec lex observatur, migratio humoris ab altera ad alteram corporis partem fieri potest; siquidem errorem fluentium humorum ea quidem ratione assumi posse nego, quod secreti humores, quales secreti sunt, nullo modo mutati, possint totum sanguinis & humorum oceanum transgredi atque ab alio organo ad aliud migrare. Accedit, in hoc quidem casu nullam adesse vere secretam bilem, sed impeditam esse eiusdem parationem! Ubi itaque nulla adest bilis, nulla quoque migrare ex hepate aut vesica fellea ad superficiem corporis potest. Ut melius explicemus hunc secundum casum, respicere oportet ad praeexistentiam humorum secretioni dicatorum, licet imperfectam, in massa humorum, quamvis postea perfecte parari, evolvi atque secerni debeant. Bilis quidem secreta haudquaquam adest in circulo sanguinis: alioquin superfluum fuerit organum peculiare, secretioni ipsius dicatum. Verum enim vero partes bilis constitutivae praeexistunt omnino in massa humorum, atque, licet in statu naturali nullibi nisi in hepate separentur, in statu tamen praeternaturali a quovis organo secerni possunt. Quod autem in ictero cutis potius separet bilem, cuius

secretio in organo peculiari impedita eſt, pendet a sympathia ſyſtematis cutanei & biliferi, quae talis eſt ac tanta, ut functiones suas utrumque organum alterno modo suppleat.

33.

Sed explicanda venit adhuc tertia cauſſa icteri, quae versatur in cauſſis generalibus, quae hepatis functionem quamquam non impediant, toti tamen ſyſtemati, & praesertim cutaneo, poſſunt eum praebere ſtimulum, ut secretio abundet, atque evolvatur ex partibus ingredientibus, ſingulatim antea in maſſa humorum exiſtentibus, verus luteus humor, qui icterum universalem producit. Salva hic eſt functio hepatis, imo saepius aequo modo aucta ac in toto ſyſtemate activitas increscit. Epidemica conſtitutio & climatis calor praesertim hanc polycholiam producere poſſunt. Quemadmodum enim seroſitas humorum saepius praedominatur, ita & bilis partes conſtitutivae abundare poſſunt in maſſa humorum, quo facto & polycholia & icterus epidemicus producitur.

34.

Quaeritur iam, quaenam cauſſa proprie accusanda ſit in noſtra febre? Prima icteri

caussa culpari nequit, quippe quae organica vitia supponat a nostro morbo plane aliena. Supersunt itaque & tertia & secunda caussa, quas plerumque adesse, observationes fidae docent: quodsi enim irritabilitas totius systematis miro modo exaltatur calore humido enormi tropicarum regionum, eamdem iusto maiorem irritabilitatem quoque participat systema biliferum: atque hoc modo exsurgit febris flava. Quae systematis summa irritabilitas cum depressionem eiusdem plerumque attrahat, depravationem humorum quoque producit, quae saepius cum eiusmodi ictero est coniuncta.

Hinc quoque explicandus vomitus ater, qui ex depravatione sanguinis in venis gastro-epiploicis & ceteris venis splenalibus stagnantis oritur.

Si autem inflammatio hepatis simul adest, impeditur bilis secretio in organo peculiari, atque oritur secretio succedanea in systemate cutaneo; quod ope sympathiae nectitur cum hepate. En brevibus adumbratam icteri theoriam, quam, haud tanquam verissimam, sed tanquam vero propius accedentem proferre audeo! Qui plura consulere atque limatiora opera voluerit, adeat quaeso PORTALIUM, GOLDWITZIUM & SGRAEUWENIUM, quorum inquisitionibus multum me debere profiteor. Videamus iam, an curationis methodus huic theoriae respondeat!

35.

Curationis methodus.

Cum manifesta inflammationis signa adsint, quod plerumque fere accidere solet, huic obviam eundum suadeo, atque ob eam rationem instituendam phlebotomiam esse contendo: quae primo saltem morbi insultu atque in plethoricis & sanguineis subiectis egregia producet emolumenta. Hinc LINDIUS (*a*), MAKITTRICKIUS (*b*) & MOSELEYUS (*c*), ISERTUS (*d*) & IACKSONIUS (*e*), nihil antiquius habent, nihil magis idoneum atque necessarium venaesectionibus. Ipsis animi deliquiis & pulsu depresso non dissuadetur MOSELEYUS ab hac operatione; observavit enim pulsum statim elevari atque capitis temulentiam & dolores acutos evanescere, cum largissima venaesectio fuerit administrata. Hinc quoque in nupera epidemia Philadelphica tantopere profuit phlebotomia mature administrata (*f*).

(*a*) P. 242.
(*b*) P. 136.
(*c*) P. 342.
(*d*) P. 260.
(*e*) P. 268.
(*f*) CAREY p. 1358.

Eidem scopo inserviunt hirudines & scarificationes ad nuchas aut ad collum applicatae, quae detrahunt non solum sanguinem sed minuunt etiam & derivant ſtimulum, unde summe proficuas easdem dixerunt LINDIUS (*a*) & MAKITTRICKIUS (*b*). Caute tamen agendum in venaesectione adminiſtranda, quippe cum detrimenta non pauca inde orta fuiſſe viderit MOULTRIEUS, praesertim in debilibus subiectis (*c*). Nunquam poſt tertium diem adhibenda venaesectio, cum depravatio humorum tunc iam praedominetur & facilius sequatur inflammationem putredo (*d*).

36.

Simul enemata antiphlogiſtica adhibentur, cui scopo THIONUS nitrum commendat, quod clysmatibus iniectum egregium effectum praeſtabit (*e*). Clysmata blanda, emollientia, nullo modo ſtimulantia, praeter LINDIUM, ceteri omnes Auctores commendant (*f*). Aër purus eſt optimum antiphlogiſticum, quod inſignem

(*a*) P. 275.
(*b*) P. 155.
(*c*) P. 183.
(*d*) POUPPE' p. 215. — HILLARY p. 187.
(*e*) LIND p. 270.
(*f*) MAKITTRICK p. 139.

effectum praestat ad debellandum hunc morbum: commendatur itaque de meliore nota ab optimis Auctoribus, MAKITTRICKIO (*a*), MOSELEYO (*b*) & aliis.

37.

Studendum deinde, ut irritabilitas nimia deminuatur & vomituritiones assiduae supprimantur: quo facto praecipuum attingimus scopum curationis. Fit hoc ope infusi avenae theiformis, magnesiae in aqua menthae piperitae solutae (*c*), spiritus nitri dulcis & moschi, quem praesertim in deliriis & subsultibus tendinum summe utilem multi observaverunt (*d*).

Maxima vero spes conferenda ad opium, quod substantia potius, quam spiritu infusum proderit. Commendant opium, praemissa phlebotomia, BRUCIUS (*e*), SCHOTTIUS (*f*), HILLARYUS (*g*), HUNTERUS (*h*) &

(*a*) P. 348.
(*b*) P. 341.
(*c*) BLANE p. 317.
(*d*) LIND p. 271.
(*e*) LIND p. 255.
(*f*) P. 135.
(*g*) P. 190.
(*h*) P. 68.

IACKSONIUS (*a*). Dum autem serius propinatur, praesertim forma tincturae thebaicae, dum ſtupor adeſt, aut congeſtionum versus caput alia symptomata, damnandum erit, quia congeſtiones miro modo auget (*b*).

Aqua tepida largiter ingurgitata, anceps haudquaquam remedium, eximium usum praeſtat ad tollendam irritabilitatem iuſto maiorem (*c*). Nunquam tamen balnea tepida negliguntur, quippe quae miracula saepe edere in curando hoc morbo videntur, cum irritabilitatem pathologicam deprimant & spaſticos affectus optime sedent. Dum itaque iactatio frequens, cutis maxime arida, lingua ſicca, & oculorum ferocia, cum urina rubra, hunc irritabilitatis ſtatum commonſtrant, a nullo alio remedio, tot tantosque effectus exspectato, quot quantosque a balneorum tepidorum adminiſtratione (*d*).

38.

Deinde, quoties adeſt saburra, eius evacuatio mature molienda, absque qua finem cu-

---

(*a*) P. 270.
(*b*) BISSET p. 36. — BLANE p. 318. MOSELEY p. 374. — MAKITTRICK p. 139.
(*c*) MAKITTRICK p. 141. — LIND p. 270. — MOSELEY p. 351. — ISERT p. 260.
(*d*) LIND p. 242. — IACKSON p. 268.

rationis attingere nequimus. Hinc emetica prosunt in ſtadio primo, cum inflammationis symptomata non praedominantur, sed maior adeſt copia ſignorum, quae sordes gaſtricas oſtendunt (*a*). Quodſi vero inflammatio viget & vomituritiones aſſiduae cum senſibilitate ventriculi nimia saeviunt, detrimenta maioris momenti ex emeticorum applicatione manatura exſpectantur (*b*). Tunc leniter eccoprotica & purgantia ipsa multo maiorem usum exhibent. Tamarindi cum cryſtallis tartari, mercurius dulcis cum ipsa ialappa, cremor tartari cum saccharo & manna; tartarus vitriolatus in aqua cinnamomi solutus, egregium effectum producere dicuntur, cum maturius exhibentur (*c*). Hoc emolumentum magis in India occidentali eſt exſpectandum, ubi proclivitas ad alvum fluidam maxime viget & crises plerasque praeparare solet. Quodſi autem inflammatio iam praedominatur, noxia sunt purgantia, quod IACKSONIUS praecipue expertus eſt (*d*).

(*a*) BRUCE apud LIND p. 255. — HILLARY p. 190. — MOSELEY p. 349.
(*b*) MOSELEY p. 362. — HILLARY p. 204. CAREY p. 1358. — LIND p. 276.
(*c*) POUPPE' p. 87.
(*d*) L. c.

39.

Metasyncrisis deinde veterum methodicorum quandoque tentanda, quippe quae stimulos alienos applicando, stimulos morbosos supprimere & alienum quasi tonum corpori aegro impertire iubet. Huic scopo satisfaciunt emetica, si ita propinantur, ut minus ad evacuationem, quam ad hanc metasyncrisin excitandam respicias. Egregie hoc commonuit IACKSONIUS, qui tali modo de curatione huius morbi loquitur: „ I exerted myself to „ change the genius and natural tendency of „ the disease, or to take the business, as „ speedily as possible, totally out of the „ hands of nature ". Indicatio haec perficitur tum emeticis, tum sinapismis & vesicatoriis, quae, quanquam ab aliis damnentur, summum tamen usum praestare videntur, cum stimulum morbosum derivent & metasyncrisin moliantur (a). Applicanda autem sunt vel regioni epigastricae vel nuchae, si pulsus mollis & parvus, stupor & deliria studiosa indicant, depressam esse iam irritabilitatem aut eam adesse

(a) IACKSON p. 269. — LIND p. 244. — BLANE p. 318. --- MOSELEY p. 362. --- MAKITTRICK p. 154. --- Des moyens p. 60.

syſtematis ataxiam, quae nullo alio modo, niſi recorporatione hac, tolli poteſt... Metasyncriticum remedium quoque pulvis IACOBI eſſe videtur, qui, dum alvus ſimul fluida servatur, egregium dicitur effectum producere (*a*).

40.

Roborandum eſſe syſtema solidorum in hoc morbo, per se patet, cum alioquin putredini & depravationi humorum obviam iri non poſſit. Hinc excitantia omnia, non obſtante inflammationis quodam gradu, largiſſima doſi propinanda. Palmam ceteris excitantibus praeripit vinum, vel maderense vel rhenanum, quod ſine dubio beneficia inſignia in hoc morbo producit, cum ſtomachus, ſi nullum aliud remedium ferre poteſt, hoc certisſime tolerat (*b*). Vinum gallicum rubrum, quod *medoc* vocant, aequo modo utile erit ad ſiſtendas haemorrhagias, quae tantopere funeſtae saepius eſſe solent. Mixturam quoque ſimilem vinosam BLANIUS suadet ex vino

(*a*) LIND p. 246. --- HUNTER p. 85. --- MOSELEY p. 358.

(*b*) LIND p. 257. -- ISERT p. 260. -- SCHOTTE p. 135. --- CHALMER p. 162. — HUNTER p. 89.

rhenano, aqua, nuce moschata, acido citri & saccharo (*a*).

Cortex peruvianus, primarium certe roborans, aegre fertur a ftomacho debilitato, unde mixtura paullo ante descripta prius exhibeatur, quam ventriculus optime tolerare solet. Deinde videatur, an remiffio adfit, an pulsus nulla durities, an congeftiones versus caput parum vigeant an alvus fit laxa. Sub his omnino conditionibus cortex peruvianus egregium usum praeftabit (*b*). Timeri poffent detrimenta ex usu corticis in hoc morbo, ubi non desunt saburrae figna manifefta, ubi inflammatio saepenumero viget. At climatis discrimen hoc excusat: fiquidem in omnibus febribus biliofis, quae in India occidentali occurrunt, cortex peruvianus optimo modo novam sordium generationem impedit, quae, tanquam symptomata teneritudinis & debilitatis in climate torrenti & humido facillime oriuntur (*c*). Nunquam obftare usui corticis inflammatoriam difpofitionem in climate tropico, experientia edoctus MAKITTRICKIUS often-

(*a*) P. 316.
(*b*) BISSET p. 37. --- LIND p. 245. --- ISERT p. 260. --- MOSELEY p. 358. --- HUNTER p. 82.
(*c*) Des moyens, p. 60.

oſtendit (a). Ibi enim hoc remedium exhiberi poſſe & debere suadet CHALMERIUS, licet cutis maxime arida fuerit, dummodo ceterae adſint indicationes (b). Tali vero modo adhibetur, ut vel frigidum infusum, vel extractum vel decoctum propinetur. Aegro autem non ferente internum usum, in clysmatibus aut epithematibus eſt exhibendus (c).

Praeter corticem quoque serpentariae leve infusum, aquam alexiteriam, radicem colombo, camphoram, aliaque cardiaca commendarunt Auctores, quorum primarium certe serpentaria eſſe videtur (d).

41.

Putredo denique arcenda eſt, quae in hac quidem febre celeriter sequi inflammationem aut irritabilitatem iuſto maiorem solet. Hoc fieri videtur optime ope aëris fixi, quem inſigniter iuvare in hoc morbo expertus eſt HUNTERUS (e): deinde potibus acidulatis & vinoſis, quos magnopere laudant MOUL-

(a) P. 150.
(b) P. 162.
(c) HUNTER p. 82. --- BLANE p. 317. 318.
(d) HILLARY p. 195.
(e) P. 87.

TRIEUS (*a*) & SCHOTTIUS (*b*); damnat vero MOSELEYUS (*c*), timens, ne officium ventriculi turbent. Metus is iuſtus eſſe videtur, ſi mineralia acida propinantur; quodſi autem acidulati potus vino fuerint impraegnati, optimum effectum producant, oportet. Aluminosa, quae CHALMERIUS praedicat in haemorrhagiis (*d*), dum clysmatibus ingeruntur, calculos noſtros promereri videntur.

(*a*) P. 183.
(*b*) P. 135.
(*c*) P. 351.
(*d*) P. 161.

OPUSCULUM III.

DE HYDRORRHACHIA, SEU HYDROPE MEDULLAE SPINALIS SPECIMEN

Halae habitum anno MDCCXCV.

AUCTORE

IOANNE FERDINANDO BÜSSER

MEDICO SILESIO.

I.

DISCRIMEN HUIUS VITII.

1.

Nomine hydrorrhachiae insignimus colluviem serosam in tubo spinae dorsi medullari, quae tumorem involucrorum naturalium & mollium & osseorum, maxime vero diastasin partis posterioris columnae vertebralis in embryonibus & in recens natis producit. Solet adeo huius tumoris ope cartilago posterior, quae ante processuum spinosorum formationem

adest, secedere, postrorsum propelli; atque ita tumor externus oritur, integumentis vix ac ne vix quidem obtectus. Continet itaque hoc vitium duplicem statum praeternaturalem. Adest enim colluvies serosa medullae ipsius: adest etiam mala tubi vertebralis ossei conformatio, quae spinae bifidae nomine venit.

2.

Colluvies serosa medullae spinalis simplex, sine spina bifida, non raro observatur: & forsan adhuc saepius animadverteretur, si Anatomici plus sedulitatis & laboris impenderent ad aperiendum saepius tubum spinalem. Sed dolendum omnino, vulgo hanc gravioris momenti sectionem praetermitti, cum contenti semper videantur dissectores, dummodo tres corporis cavitates perscrutati fuerint.

Praesertim visum est singulare aliquod commercium inter hydrocephalum & colluviem medullae spinalis serosam, ut suppressa hac ille sequatur, aut ut ille hac demum oborta solvatur (*a*). Meminisse iuvat casus,

---

(*a*) In puella annorum 5. hydrocephalo externo laboranti hydrorrhachia simul exoriebatur; sub idonea medendi methodo tum capitis volumen, tum spinalis columnae tumor imminuebantur. Ast morbi violentia

quem WEPFERUS narrat (*a*), ubi nimirum in recens nata puella ad dextrum latus vertebrarum lumbalium macula livida, splendescens observabatur, quae in tumorem pellucidum attollebatur. Lympha postea sponte effusa hoc vulnus a Chirurgo consolidatum est: quo facto caput intumuit & verus obortus est hydrocephalus. Simili ratione BARTHOLINUS (*b*) vidit puerum quatuor annorum hydrocephalicum, artubus plane emaciatis, qui in confiniis spinae dorsalis & lumbalis abscessum habuit praegrandem: aperto tumore effluxit pus cum sanguine seroso: brevi post vero mors secuta est.

3.

Haec itaque exempla ostendunt colluviem medullae spinalis serosam absque secessione processuum spinosorum, cum hydrocephalo iunctam. In caussam, cur hydrocephalus cum eiusmodi colluviebus serosis medullae

---

vitam amisit; & cadaveris sectione totam vertebralis columnae cavitatem serosi liquoris extravasationem implere observatur (*Editor*).

(*a*) Observ. de affect. capit. o. 29. p. 56.

(*b*) Histor. anat. rarior. cent. I. hist. 30. p. 46.

spinalis coniunctus esse possit, postea inquiram, theoriam huius morbi propositurus. Hic tantum afferam agyrtarum & circumforaneorum in Italia Medicorum methodum, qua hydrocephalum armentorum, iumentorum & ovium, *capostorno* vocatum, curant. Baculum enim ferreum & candentem intrudunt in tubum spinalem ad caudam usque, quo facto saluber effluxus serosus contingit (*a*), qui docet, artificio etiam imitari homines posse eiusmodi mutationes morbosas.

4.

Saepius quoque in aliis morbis congestio sanguinis & serosorum humorum versus columnam vertebralem & tubum eius medullarem fieri debet, ex qua symptomata varia morborum nervosorum declarari possunt. In cadaveribus hemiplecticorum obviam eiusmodi copiam insignem humorum serosorum prae aliis vidit immortalis MORGAGNIUS (*b*). In alio quoque cadavere hominis, qui tetano decesserat, colluviem aquosam in tubo spinali

---

(*a*) BERTRANDI opere Cerusiche, Vol. I. p. 111. II. p. 68.

(*b*) De sedib. & causs. morb. ep. XI. n. 15.

observavit (*a*) : ita etiam in apoplectico (*b*); imo in cachexia venerea (*c*) adesse insignem serosorum humorum versus tubum spinalem congestionem, animadvertit.

5.

Considerata iam colluvie medullae spinalis serosa simplici, transeamus ad ipsum vitium, quod hic tractare nobis propositum est, nempe ad hydrorrhachiam cum mala tubi ossei conformatione iunctam.

II.

FACIES EXTERNA.

6.

Quod itaque primum ad locum attinet, quem tumor hic occupat, columna est vertebralis, & quidem, secundum RUYSCHII opinionem, rarius in cervicalibus, rarissime in regione ossis sacri, saepius vero in regione

(*a*) Ep. LIV. n. 49.
(*b*) Ep. XI. n. 13.
(*c*) Ep. LXIX. n. 16.

vertebrarum lumbalium observatur. In solis lumbalibus vertebris plerique Auctores hocce vitium viderunt, inter alios *Casp.* BAUHINUS, primus, ut equidem arbitror, huius vitii observator, qui defectum simul duarum vertebrarum lumbalium vidit (*a*). In casu ab APINO (*b*) observato vitium haerebat in tertia & quarta vertebra lumbali: in sola secunda vertebra lumbali latebat morbus apud *Io. Maur.* HOFFMANNUM (*c*): in unica infima apud PORTALIUM (*d*): in tribus vertebris lumbalibus inferioribus apud BURGIUM (*e*) & SPIELENBERGERUM (*f*): in duabus ultimis apud LINKIUM (*g*). Inter quartam & quintam vertebram lumbalem tumorem enatum vidit MAUCHARTUS (*h*): in media parte vertebrarum lumbalium RAVIUS (*i*): in-

---

(*a*) SCHENCK a Graffenberg observ. med. lib. V. p. 662. --- BONET sepulcret. lib. IV. sect. 2. obs. 13. p. 276.

(*b*) Eph. nat. cur. dec. III. ann. 9. obs. 180. p. 321. --- HOCHSTETTER diss. de spina bifida in HALLER differt. pract. Vol. VII. p. 487.

(*c*) Eph. nat. cur. dec. II. ann. 5. obs. 208. p. 431.

(*d*) Mém. de l'Acad. des Scienc. à Paris, a. 770. p. 239.

(*e*) Eph. nat. cur. dec. II. ann. 6. obs. 58. p. 143.

(*f*) Eph. nat. cur. dec. I. ann. 3. obs. 107. p. 151.

(*g*) Act. nat. cur. Vol. I. obs. 74. p. 128.

(*h*) Eph. nat. cur. cent. IX. obs. 38. p. 92.

(*i*) Nov. act. nat. cur. Vol. III. obs. 34. p. 141.

ter ultimam dorsalem & primam vertebram lumbalem HEUERMANNUS (*a*): tertiae dorsali & secundae lumbali incumbentem RICHARDUS (*b*): inter ultimam denique vertebram lumbalem & os sacrum ipsum observarunt eiusmodi tumorem CAMPERUS (*c*), STOLLIUS (*d*) & MICHAELIS (*e*).

7.

Non desunt insuper casus, licet rariores, ubi ossi sacro vel soli vel una cum lumbalibus tumor insideret. Primus hoc observavit LECHELIUS (*f*), cum ad omnes quinque vertebras lumbales, & ad totum ferme os sacrum extensus esse tumor, simul cum capitis hydrope: deinde etiam BIDLOUS (*g*), ubi soli ossi sacro vitium inhaereret, illaesis vertebris lumbalibus. A tertia vertebra lumbali ad ossis sacri finem usque RUTTYUS (*h*):

(*a*) Vermischte Bemerk. I. Th. S. 304.

(*b*) Journal de Médecine, par ROUX, Vol. XXIX. Août 1768. p. 140.

(*c*) Apud BELL Lehrbegriff der Wundarzneyk. Th. IV. S. 338.

(*d*) Rat. med. Vol. VII. hist. 50. p. 217.

(*e*) RICHTERS chirurg. Bibliothek, B. VI. S. 133.

(*f*) Eph. nat. cur. dec. II. ann. 2. p. 362. — BONET sepulcr. lib. I. sect. 16. obs. 4. p. 389.

(*g*) Exercitat. anatom. chirurg. dec. II. n. 7. p. 189.

(*h*) Philos. transact. N. 366. Y. 1740. p. 98.

in medio osse sacro, una cum hydrocephalo, integris ceteris spinae vertebris MAYERUS (*a*): a quarta ossis sacri spina ad os coccygis usque vidit WELSIUS hydrorrhachiam (*b*); memoratu sane dignissima observatio. In hoc ipso loco viderunt etiam id vitium & RUYSCHIUS (*c*) & GENGA (*d*). TULPIUS quoque tumorem eiusmodi ab ultima vertebra dorsali ad os sacrum usque extensum animadvertit (*e*); ita etiam GREEVIUS a septima vertebra dorsali per lumbales & per totum fere os sacrum diffusum hoc vitium observavit (*f*). In medio denique osse sacro vesicam sanguine seroso repletam ACRELIUS vidit, quae hoc vitium constitueret (*g*).

8.

Vertebrae cervicales dehiscunt saepius una cum dorsalibus & lumbalibus in infantibus

---

(*a*) Eph. nat. cur. cent. I. obs. 127. p. 258.
(*b*) Abhandl. der schwed. Akad. der Wissensch. B. X. J. 1748. p. 296.
(*c*) Observ. anat. chirurg. o. 35. p. 48.
(*d*) MORGAGNI ep. XII. n. 9.
(*e*) Observ. lib. III. o. 30. p. 232.
(*f*) Verhandel. der Maatschapp. te Vlissingen, D. VI. S. 601.
(*g*) Abhandl. der schwed. Akad. der Wissensch. B. X. J. 1748. S. 294.

monstrosis, acephalis, quibus loco encephali planum saepius os aut fungosa adest pulpa. Iisdem vel deest penitus medulla spinalis, vel adeo dissoluta & congestione aquosa corrupta est, ut functionibus suis praeesse posse non videatur: eoque magis mirandum, quod eiusmodi embryones & vixerint & incrementum ceperint.

RUYSCHIUS (*a*) describit infantem monstrosum, cui ne minima quidem cranii cavitas, nedum cerebrum adesset, vertebrae autem non modo omnes colli, sed ex proximis thoracis totidem postica parte bifidae, nullaque medulla praeditae essent. HORNIUS vidit cum defectu cerebri defectum etiam medullae spinalis totalem & processuum spinosorum, protuberantes tantum utrinque processus transversos (*b*). Apud MORGAGNIUM (*c*) exstat descriptio monstri, in cuius dorso membrana rubra, farciminis longis speciem prae se ferens, conspiciebatur, sub qua protuberantiae binae osseae prorumpebant, quae subesse spinam bifidam ostendebant: cerebri & medullae spinalis nullum vestigium. *Theod.* ZWINGERUS (*d*) raro exemplo vidit in

(*a*) Thesaur. anat. VIII. n. 1.
(*b*) Eph. nat. cur. dec. I. ann. 3. p. 190.
(*c*) Ep. XLVIII. n. 50.
(*d*) Eph. nat. cur. cent. VII. obs. 29. p. 72.

monstroso embryone octomestri cerebrum sine cranio, columnam vertebralem vero ita inversam, ut processus spinosi ad interiora vergerent, vertebrarum vero corpora in duas parter dehiscerent. Monstrum acephalum, cui loco cerebri os planum fuit, omnes autem vertebrae cervicales ad sextam usque in duas partes divisae essent, vidit KERKRINGIUS (*a*). Omnes porro vertebras ab occipite ad os sacrum inde divisas habet BIDLOUS (*b*): eodem modo HOINUS (*c*), ubi caput humeris insidere videbatur. Hic praeprimis casus confirmatur MECKELII nostri observationibus, quae sistunt acephalos foetus cum spina bifida & per colli vertebras & per totum columnae vertebralis tractum progrediente, occipite vero in ultimo exemplo, membrana pulposa obtecto (*d*).

Cum anasarca & hydrocephalo enormi defectum processum spinosorum omnium ab occipite ad coccygem usque observavit FIELITZIUS (*e*). Rarissima est SWAGERMA-

(*a*) Spicileg. anat. obs. 23. p. 56.
(*b*) Exercit. anat. chirurg. dec. II. a. 7. p. 192.
(*c*) Mém. de l'Acad. de Dijon, ann. 1772. Vol. II. p. 170.
(*d*) VOIGTEL fragm. semiol. obstetric. tab. II. fig. 2. tab. III. fig. 1. 2.
(*e*) RICHTERS chirurg. Bibliothek. B. IX. S. 185.

NI (*a*) animadversio, quod ad cervicem tantum tumor oriretur, qui hydrorrhachiam subesse ostenderet, integro tamen capite, integrisque artubus.

9.

Quod ad *figuram* tumoris externi spectat, est plerumque rotundus, ovalis; insidens, vel margine lato vel pedicello, divisis vertebris aut interstitio potius inter duas vertebras aut ii loco, ubi processus spinosi alioquin iunguntur. Pomi curtipenduli speciem prae se tulit tumor, quem APINUS vidit (*b*): pedicello instructus erat tumor a TREWIO visus (*c*). In aliis casibus botuliformis est, praesertim dum producitur extra tubum spinalem vesica aquam limpidam continens: eiusmodi botuliformem tumorem observavit CNEULINUS (*d*), talem etiam, vel potius coniformem STOLLIUS (*e*).

Magnitudo variat pro longiori aut bre-

(*a*) Ontleed en heelkondige Verhandeling van het Waaterhoofd, het Waatergezwel en verdere Gebreken der Ruggegraat, p. 80.

(*b*) Eph. nat. cur. dec. III. ann. 9. obs. 180. p. 321.

(*c*) Nov. act. nat. cur. Vol. II. obs. 100. p. 394.

(*d*) SCHENCK obs. lib. V. p. 664.

(*e*) Rat. med. Vol. VII. hist. 50. p. 217.

viori tempore, per quod eiusmodi tumor perſtitit. Modo enim ciceris tantum magnitudine, dum per foraminulum solummodo, loco hiatus, prorumpere tumor (*a*): iam nucis avellanae mox poſt partum magnitudine, quae vero poſt sex septimanas ad pomi mediocris molem adaucta eſt (*b*): nunc ovi magnitudinem aequavit (*c*): mox celeriter adeo increvit, ut decimo mense pugni molem aut capitis ipſius adipisceretur (*d*). — Augetur quoque nonnunquam moles, dum infans vel alvum deponit (*e*), vel vero dum fortiter inspirat (*f*).

10.

Tumor hic adeo tensus saepenumero eſt, ut digiti prementis veſtigia non retineat, neque preſſioni cedat (*g*): alioquin mollis eſt &

(*a*) RUYSCH observ. anat. chirurg. o. 36. p. 49.

(*b*) HOFFMANN in eph. nat. cur. dec. II. ann. 5. o. 208. p. 431.

(*c*) BAUHIN apud SCHENCK, lib. V. p. 662.

(*d*) MORGAGNI ep. XII. n. 16. --- SWAGERMAN'S ontleed, p. 40.

(*e*) BURG in eph. nat. cur. dec. II. ann. 6. obs. 58. p. 141.

(*f*) RICHARD dans le journal de médecine, Vol. XXIX. 1768 Août. P. 141.

(*g*) RUYSCH observ. anat. o. 36. p. 49. --- MAYER in eph. nat. cur. cent. I. o. 127. p. 258.

fluctuans, facileque vestigium digiti prementis servat (*a*).

Color plerumque aquosus, albidus est, praesertim dum per aliquod tempus iam duravit. Vesicam aqua repletam refert (*b*), aut conum pellucidum (*c*). Nonnumquam vero mox post partum rubicundus est, quasi ecchymomate tectus, deinde vero pelluciditatem obtinet (*d*). Saepius quoque rubicundus manet & cuticula privatus videtur, ut sola dura menynge & involucris internis obtecta sit medulla aquosa (*e*). Vasis manifestis intertextum hoc involucrum apparuit semel (*f*): verus sanguis grumosus, coagulatus, pure saepius mixtus, transluxit, atque dein etiam effusus est (*g*). — Flatibus dicitur etiam repletus

---

(*a*) BURG l. c. --- MAUCHART in eph. nat. cur. cent. IX. o. 38. p. 92. --- RAU in nov. act. nat. cur. Vol. III. o. 34. p. 141.

(*b*) BAUHIN l. c. --- LECHEL in eph. nat. cur. dec. II. ann. 2. p. 362. --- SWAGERMAN'S ontleed p. 120. --- MAYER l. c.

(*c*) STOLL l. c.

(*d*) RUTTY in philos. transact. N. 366. Y. 1740. p. 98.

(*e*) APINUS l. c. --- MAUCHART l. c. --- TREW in commerc. liter. Noric. a. 1741. hebd. 20. p. 155. --- RAU l. c.

(*f*) TREW in nov. act. nat. cur. Vol. II. o. 100. p. 394.

(*g*) CNEULIN apud SCHENCK lib. V. p. 664.

fuiſſe tumor, cuius rei fides ſit penes Auctorem (*a*).

II.

Mutationibus ceteroquin hic tumor parum obnoxius eſt: namque exulceratio eiusdem adeo rara eſt, ut, praeter mox citatum STALPAARTUM VAN DER WYL, & HOCHSTETTERUM (*b*), nemo mihi notus ſit, qui eamdem obſervaverit —. Gangraena correptum eſſe hunc tumorem, notarunt TULPIUS (*c*), RUYSCHIUS (*d*), & BIDLOUS (*e*). Quod ſponte quandoque rumpatur, saepius eſt obſervatum, & quidem modo infauſto, modo haud adeo triſti eventu. In partu iam ruptum eſſe tumorem, AYLETTUS refert (*f*), quo facto quotidie ſerum cruentum e vulnere effluxit, urina vero nulla adfuit. Tertio

--- STALPAART VAN DER WYL cent. poſt. pars prior, o. 34. p. 365. — HOMMEL in Abhandl. der ſchwed. Akad. der Wiſſ. B. X. J. 1748. S. 295.

(*a*) SPIELENBERGER in eph. nat. cur. dec. I. ann. 3. obs. 107. p. 153.

(*b*) HALLER diſſert. pract. Vol. VII. p. 497.

(*c*) Lib. III. hiſt. 29. p. 230.

(*d*) Obſerv. anat. chir. n. 36. p. 49.

(*e*) L. c.

(*f*) Philos. tranſact. N. 472. Y. 1744. p. 10.

Tertio poſt partum die ſponte ruptus tumor iterum replebatur: vixit infans per aliquot septimanas, donec iterum ruptus mortem attulit (*a*). Epilepſia obiit infans, dum ſponte tumor rumperetur (*b*); in altero caſu mors poſt paralyſin conſecuta eſt (*c*). Memoratu denique digniſſima GREEVII obſervatio, quod rupto ſponte tumore exſtillaverit humor copioſus, quo ſubſiſtente tumor iterum increvit, hydrocephalus & oedema pedum acceſſit, atque denique mors ipsa (*d*).

III.

SYMPTOMATA.

12.

Cum medulla ſpinalis hoc vitio laborat, neceſſe eſt varia, eaque ſaepius funeſta inde oriantur ſymptomata, quae a compreſſione ner-

(*a*) MICHAELIS in RICHTERS chir. Bibl. B. VI. S. 133. Cf. TARANGET in HUFELAND'S Annalen der franz. Arzneyk. Th. II. S. 71.

(*b*) BURG in eph. nat. cur. dec. II. a. 6. obs. 58. p. 142.

(*c*) MAYER l. c.

(*d*) Verhandel. der Maatsch. te Vliſſingen, D. VI. p. 601.

vorum & a suppressa eorum activitate naturali pendent. Periculum autem eo maius adesse, quo proprius encephalo vitium haeret, HEVERMANNUS (*a*) credit, cum nobilissimorum organorum nervi laedantur: cui quidem singularis SWAGERMANI casus contradicit, ubi infans per annum adhuc superstes fuit, cui in cervice adnatus erat tumor capitis molem exaequans (*b*). Ceteroquin satis vulgare est, infantes dorso incumbere non posse, sed vehementer tunc eiulare, compresso nimirum tumore (*c*).

Debilitas & paralysis extremitatum inferiorum plerumque sequitur hydrorrhachiam lumbalem, quod omnium fere Observatorum testimonia confirmant. Contortos praeterea esse pedes ut rite moverit & situm suetum assumere nequeant, ex compressione nervorum oritur & fere semper observatur (*d*). WELSIUS observavit paralysin vesicae & sphincteris ani, absque ullo pedum vitio, cum magis pati viderentur quartus & quintus nervus sacralis,

---

(*a*) Verm. Bemerk. Th. I. S. 304.

(*b*) Ontleed van het Waaterhoofd, p. 80.

(*c*) SALZMANN in WEIZ Auzügen aus HALLERS chirurg. Disput. B. V. S. 226.

(*d*) VYLHOORN tweede vertoog over het ongemak van de spina bifida, p. 102. --- MAYER l. c. --- STALPAART l. c.

qui ad anum & pelvim internam propagantur, quam ischiadicum, cuius maior portio ex tribus superioribus sacralibus componitur (*a*). Defuit quoque paralyſis extremitatum inferiorum in casu a SWAGERMANO observato; ubi vertebrae cervicales spinam bifidam paterentur. Nonnunquam convulſiones extremitatum accedunt, quae brevi mortem annunciare solent. Colorem plumbeum & gangraenosas puſtulas, exulcerationem, cum carie & fragilitate oſſium, continuoque frigore in artubus inferioribus viderunt RICHARDUS & TREWIUS.

13.

Somnolentiam & soporem, tanquam symptomata continua huius morbi, observarunt RAVIUS & MURRAYUS (*b*), quod ex coniunctione eiusdem cum encephali hydrope explicari poſſe videtur (*c*).

(*a*) Abhandlungen der Schwedischen Akademie der Wiſſenschaften, B. X. J. 1740. S. 296.

(*b*) Opusc. academ. Vol. II. p. 207.

(*c*) Nonnullos in praxi mihi occurrebant observare infantes hydrorrhachia affectos, qui neque somnolentia, neque sopore detenebantur, & continuis clamoribus ſibi, & parentibus vigiliae salutem eludentis in cauſſa fuerunt. Bina haec vero enuntiata symptomata non desunt, quoties hydrocephalus hydrorrhachiae coniungitur (*Editor*).

14.

Quamquam adeo letalis sit plerumque hic morbus, ut paucos tantum dies post partum vitam protrahere soleant infantes, exstant tamen variae observationes, quae, diutius etiam superstites esse eosdem docent. Vixisse infantem, qui hydrorrhachia laboraret, aliquot septimanas MICHAELIS; septimanas duodecim LECHELIUS & RAVIUS; septemdecim MAYERUS; sex menses SPIELENBERGER & BURGIUS; decem menses MORGAGNIUS (*a*); septemdecim MURRAYUS testantur. Imo quandoque per annos supersunt. Supra annum vixisse RUYSCHIUS (*b*); annos quinque TITSING (*c*); octo HOMMELIUS (*d*); duodecim TREWIUS (*e*); septemdecim WILSIUS (*f*); duodetriginta CAMPERUS referunt. Ex his quidem testimoniis TREWII & CAMPERI praesertim lectu di-

---

(*a*) Ep. XII. n. 16.

(*b*) Observ. anat. chirurg. n. 35. p. 48.

(*c*) Verhandeling over de tegennatuurlyke Splyting der Ruggegraat, p. 69.

(*d*) Abhandlung der Schwedischen Akademie der Wissensch. B. X. Jahr 1740. S. 295.

(*e*) Nov. act. nat. cur. Vol. II. obs. 100. p. 394.

(*f*) Abhandlung der Schwed. Akad. l. c. S. 296.

gna esse videntur. Ille vidit secundo aetatis anno copiosa pedum exanthemata ulcerosa, quae per semestre continuabant: infans sanus & robustus, praeter debilitatem extremitatum, nil conquestus. Loquela, appetitus & sitis naturales erant. Sub finem anni tertii pedibus insistere & gradiri coepit: sed post quinque annos tumor adeo increvit, ut ingressus aegre fieri posset. Pedes tabescere coeperunt, quamquam sensu adhuc pollerent. Menstrua apparebant anno duodecimo: deinde vero exulceratio gangraenosa pedum cum carie ossis femoris accessit . . . Omnes autem Auctores confirmant, incremento corporis ipsi, imo pinguedini satis insigni nil hoc vitium nocuisse (*a*).

IV.

LOCA AFFECTA.

15.

Iam videamus, quaenam partes maxime patiantur in hoc morbo, ac quid sectio anatomica docuerit.

(*a*) MAYER, HOMMEL, RAU, TITSING &c. l. c.

Primum divisionem veram esse processuum spinosorum, praeter litigiosum VYLHOORNIUM (*a*), nemo unquam credidit: sed omnes eo consentiunt, processuum spinosorum coalitum impeditum esse aquoso tumore, qui cartilaginem in foetu spinae praetensam propellat atque ita ossescentiam eius impediat, cum insuper puncta ossea huic cartilagini desint. Nonnunquam, in maturis praesertim foetibus, processus spinosi ita reflectuntur, ut ad processus transversos intime apprimantur. GILDIUS (*b*) & SWAGERMAN (*c*) egregie de hac conformatione egerunt. Processus transversi saepenumero connati, ut ligamentum fere osseum forment, inveniuntur (*d*). Foramina lateralia, seu incisurae pro nervis, ita nonnunquam mutantur, ut cum apophysibus elevata de loco solito moveantur ac nervos secum trahant. Corpora vertebrarum quandoque vere depravantur & consumuntur (*e*), quod perperam SWAGERMAN inficiatur. Alioquin vel nimis distant vel coalita deprehenduntur (*f*). In illo enim casu cartilago

(*a*) Noodig denkbeeld van spina bifida, p. 15.
(*b*) HALLER diss. pract. Vol. VII. p. 502.
(*c*) Ontleed, p. 235.
(*d*) GREEVE, l. c.
(*e*) APINUS l. c. MORGAGNI ep. XII. n. 16.
(*f*) MURRAY p. 208.

intermedia, quae in ſtatu naturali craſſiſſima inter vertebras lumbales eſſe solet, ut tres lineas superet, fere semper deeſt, sola membrana ſubſtituta. Si vero adeſt, haudquaquam ex concentricis circulis conſtare videtur, ſicut in ſtatu naturali, sed vix differt ab aliis cartilaginibus (*a*).

16.

Fascia vaginalis, tubum oſſeum laxe ab interna parte ambiens, fere deſtructa semper conspicitur, ut fibrosam ſtructuram & robur plane amiserit. Saepius vera ita deeſt haec interior vagina, ut dura meninx arcte connata cum integumentis eſſe videatur (*b*), aut ut ipsa dura meninx nuda extus pateat. Meninges vero nunquam medullae spinali aut caudae equinae adhaerent in spina bifida, sed circum circa illam deserunt, liquidumque copiosum, quod tumorem excitat, inter meninges & medullam ipsam abundat (*c*).

(*a*) GILD p. 502.
(*b*) MORGAGNI l. c.
(*c*) GILD p. 504. --- APINUS l. c. --- MORGAGNI l. c. -- ACREL l. c. -- SWAGERMAN p. 115.

17.

Medullam ipsam *spinalem*, si dorsales vertebrae aut cervicales patiantur, eo loco plerumque dissoluta & corrupta esse solet, ut infra tumorem bene constituta appareat (*a*). Imo, si & in osse sacro adest spina bifida, superior tamen medulla eodem modo fluxilis, hydatidibus obsessa nonnunquam est (*b*). Rarissima tamen varietas esse videtur, ubi in lumbali hydrorrhachia medulla spinalis integra observatur, cum alioquin in statu naturali ad secundam vertebram lumbalem desinere & corporibus olivari, & conico, in chordam firmam transeuntibus, terminari soleat. Eam varietatem in hoc vitio viderunt APINUS & MORGAGNIUS.

In vulgaribus casibus, ubi lumbales vertebrae spinam bifidam patiuntur, nervi caudam equinam constituentes cum dura meninge conglutinati sunt aut concreti (*c*). Protruduntur quoque nervi contortuplicati, cum filamentis e ligamento denticulato ortis, in tumorem exteriorem, ut singulare eorum con-

(*a*) RUYSCH obs. 34. p. 49. FIELITZ l. c.
(*b*) ACREL l. c.
(*c*) BURG l. c. CAMPER apud BELL S. 340.

volutum plerumque in tumore reperiatur (*a*). Saepius quoque nervi ipsi ita solvuntur & corrumpuntur, ut filamenta eorum simplicia, contortuplicata, in conspectum prodeant (*b*).

Ubi vero in acephalis spina bifida adest, medulla spinalis etiam penitus deficere solet, quod KERKRINGII, HORNII, MECKELII aliorumque observationibus confirmatur.

In lumbali hydrorrhachia vidit MAUCHARTUS foramen inter duas vertebras, quod digitum facile admitteret & peritonaei ope ab abdominis cavo separaretur. Similem aperturam observavit SALZMANNUS, quae adiret duplicaturam peritonaei, admitteretque venam haemorrhoideam internam (*c*).

18.

Cum hydrocephalus saepius simul adiunctus sit, solemnus etiam in hydrorrhachia conspicere ossa capitis molliora, gyrorum in cerebro defectum, ventriculos sero limpido turgidos, plexus choroides hydatidibus obsessos,

---

(*a*) STALPAART. MAUCHART. TREW. RUTTY. HOMMEL. RICHARD. STOLL.

(*b*) TULP. lib. III. o. 29. p. 229. --- GILD p. 505.

(*c*) WEIZ Auszüge aus HALLERS chir. Disput. B. V. S. 228.

aquaeductum SYLVII adeo dilatatum, ut calamum scriptorium aequaret; ventriculum autem quartum enormem & basin eius acutam haud parum hiantem & patulam; medullam oblongatam fere non agnoscendam; cerebellum denique e loco motum a colluvie insigni serosa (*a*).

Quanquam MONROUS cum aliis strenue contendit, ventriculum ARANTII nullo modo cum tubo spinali in statu sano cohaerere, sed perfecte claudi a plexu suo choroide & pia meninge (*b*); quod eodem modo etiam a VICQ D'AZYRIO (*c*) icone illustratur; non negandum tamen, quandoque, in statu, ut puto, praeternaturali, hiare, ventriculum quartum in tubum medullarem, quod magnus HALLERUS quoque concedit (*d*). Hinc etiam varii Anatomici detexerunt cavitatem in media medulla spinali, quam praeter STEPHANUM & PICCOLHUOMINIUM (*e*), MORGAGNIUS

(*a*) GILD p. 506. --- SWAGERMAN p. 115. --- ACREL. STOLL. FIELITZ. MICHAELIS. GREEVE l. c.

(*b*) On the nervous system, ch. 4. p. 13. 14. tab. II. h. VI. L.

(*c*) Planches anatomiques. Livraison. V. pl. XXIX. fig. 3. (12.) 7. 8. 9. (3. 7.)

(*d*) Elem. physiol. Vol. IV. p. 77.

(*e*) SPRENGELS Geschichte der Arzneyk. Th. III. S. 581.

(*a*) descripsit. Quae cavitas, cum ventriculo quarto patulo cohaerens creditur a PORTALIO sedes vera hydrorrhachiae, cum manifesto ab eo & SENACO inventa fuerit (*b*). Rariorem tamen habeo hanc hydrorrhachiae sedem, cum medulla plerumque deficiat in lumbali huius mali sede, cum praeterea facilius tumor rumpatur, neque medulla aquam, sed aqua medullam circumfluat. SIEBOLDUS autem potuit e tumore hydrorrhachiae penetrare ad ventriculum usque quartum (*c*).

V.

THEORIA.

19.

Ut ortum huius vitii explicemus, ad caussas evidentes primum respiciendum, quae variae habentur. Has quidem caussas plerumque in embryonem egerint oportet, dum in utero materno adhuc inclusus esset: quia rarissime hoc vitium observatur multo post partum vel in adultis. Orta tamen erat aliquot post par-

(*a*) Adversar. anat. VI. n. 14. p. 17. 18.
(*b*) Mem. de l'ac. des scienc. a Paris, 1770. p. 238.
(*c*) Chirurg. Tageb. n. 29. p. 84.

tum dies hydrorrhachia, quam MAUCHARTUS (*a*), & *Io. Maur.* HOFFMANNUS (*b*) observaverunt. An revera apud adultos occurrere possit, quod cum GILDIO plerique negant, valde dubito. Solus APINUS dicitur in virgine vicenaria ad nucham, tum in laboriosa anu ad os sacrum observasse spinam bifidam (*c*): quae autem observationes cum non satis distincte tradantur, opinionem vulgarem nequaquam pessumdare possunt.

20.

Quod autem ad caussas ipsas attinet, quae in foetum utero inclusum ita agere possunt, ut & colluviem medullae spinalis serosam & processuum spinosorum hiatum producant; lapsum matris gravidae nonnulli incusant, aduntque in ea regione foetus spinam hiasse, quae apud matrem, cum cecidisset, maxima passa esset (*d*). A malo foetus situ aut a

(*a*) Eph. nat. cur. cent. IX. o. 38. p. 92.
(*b*) Ib. dec. II. a. 5. o. 508. p. 431.
(*c*) HOCHSTETTER p. 491.
(*d*) HOCHSTETTER p. 497. --- TULP. lib. III. c. 29. p. 229. BAUHIN apud SCHENK lib. V. p. 662. --- STALPAART l. c. --- SALZMANN in WEIZ Auszügen aus HALLERS chir. Disput. B. V. S. 226.

compressione eius derivarunt alii hoc vitium (*a*), & speciatim ad thoracum nectilium abusum respexerunt. Alii vero hanc caussam inficiati sunt, eam ob rationem, quoniam foetus amnii liquore undique circumdatus a nulla vi comprimente affici possit (*b*).

21.

Scrophulosam, rachiticam, veneream parentum, praesertim matris, cachexiam aliquid facere posse ad gignendum hunc morbum, elucet omnino ex observationibus SALZMANNI, MURRAYI & TARANGETI (*c*). His enim cachexiis osteogenia impeditur, lymphaeque degeneratio oritur, quae vitia & ad embryonem propagari possunt, dum nutritio eius semper sequi solent nutritionem matris.

Ad imaginationem autem perversam matris qui respiciunt, facta quidem in medium proferunt, quae negare nefas foret, quae vero explicari ac cum ratione humana consentanea reddi haudquaquam possunt. KERKRIN-

(*a*) HEVERMANN S. 304. 308. --- PLATNER instit. chirurg. S. 747. --- VYLHOORNS noodig denkbeeld. p. 5.

(*b*) SWAGERMAN p. 205. --- TITSING. p. 75.

(*c*) HUFELAND Annalen der franz. Arzneyk. Th. II. S. 71.

GII casus indigitat metum matris, ne diabolus infantem surriperet, & assiduam cacodaemonis imaginationem, tanquam caussam, ut infans oriretur, capite difformi & spina dorsi bifida. RUTTIUS refert, matrem peperisse foetum, qui eo loco hoc vitium pateretur, ubi maritus, dum gravida esset, spinam fregerat. SALZMANNUS, MICHAELIS & alii observarunt, matres, qui semel foetus cum spina bifida pepererant, solere iterum eiusmodi partus in lucem edere, dum metu semper postea angantur, ne deformis evadat iterum embryo.

22.

Ad caussas propiores autem accedendum, ex quibus primaria est hydrocephalus, qui tanquam sequelam omnino producere potest hydrorrhachiam, negante licet MONROO (*a*). Namque in statu praeternaturali potest omnino hydrocephalus vel internus, hiante ventriculo ARANTII, colluviem serosam cavitates in media medulla spinali producere, quod maxime GREEVII, PORTALII & SWAGERMANI observationibus confirmatur. Si vero adfuerit hydroce-

(*a*) On the nervous system, ch. 4. p. 14.

phalus externus, aut si aqua stagnaverit inter meninges & corticalem cerebri substantiam, transit etiam eodem modo ad interstitium inter fasciam ligamentosam, meninges & medullam ipsam. Hunc quidem hydrorrhachiae ortum observasse iam dicitur Hippocraticus ille Auctor, cuius liber de *glandulis* (*a*) adhuc exstat. Morbum enim aliquem spinae dorsi ex defluxione capitis derivat, qui sedem praecipuae capiat in osse sacro ibique varia vitia producat, ut & possit in claudicationem abire. At vero quisquis videt, longe alium indigitari morbum ac nostrum, cum ossa pelvis & articulus ossis femoris magis pati eo tradatur, quam ipsa spina dorsi.

23.

Saepius tamen in ipso tubo spinali primitus oritur hydropica colluvies, quae spinam bifidam producit, cum saepius cerebrum nihil passum fuisse videatur. Origo autem huius primariae colluviei serosae quaerenda est in viscido aut glutinoso humore, qui ambit meningem duram in statu naturali & ab arteriis exhalatur (*b*). Accumulato itaque hoc

(*a*) HIPPOCRAT. opp. ed. *Foës.* Sect. III. p. 55.
(*b*) WINSLOW exposit. anat. du corps, Tom. IV.

humore gelatinoso fascia vaginalis extenditur, ipsique nervi afficiuntur, ut penitus fracescant, atque lymphatica vasa, quae adesse in tubo spinali demonstravit iam *Io. Maur.* HOFFMANNUS (*a*), vim suam resorbendi amittant, unde abundantia seri haud aegre declarari potest.

24.

Iam vero explicandum, cur praesertim in postica parte dehiscat tubus spinalis, si eiusmodi colluvies serosa orta fuerit, neque a lateribus. Prima ratio est, quia columna vertebralis a lateribus munitur multo firmioribus musculis & ligamentis, quae congestam colluviem serosam reprimere possunt. Secunda, quia processus spinosi in foetibus ante septimum mensem carent fere punctis ossificationis, cum in transversis omnino iam osteogenia incrementum ceperit. Processus spinosi tunc nil sistunt nisi cartilaginem membrana tenui obductam, quae facile protrudi ac dehiscere potest.

25.

§. 122. p. 275. — VIEUSSENS nevrographie, liv. II. ch. 1. p. 139. — SOEMMERINGS Hirn- und Nervenlehre, §. 70.

(*a*) Diss. de hydrocephalo, c. 1. §. 2.

25.

Alia quaestio resolvenda est! Cur potissimum hydrorrhachia cum spina bifida in vertebris lumbalibus sedem figat? Multa sunt, quae faciunt maiorem hydrorrhachiae lumbalis frequentiam, ex quibus pauca tantum delibare liceat.

1) Laxissima durae meningis structura in tubo lumbali, quae in superiore parte tubi cervicalis & dorsalis strictior est, & in summis vertebris colli intime cohaeret cum fascia vaginali. Maior itaque etiam copia liquidi glutinosi naturalis in interstitio accumulari potest.

2) Ligamentum denticulatum, quod intime duram & piam meningem secum iungit, plerumque ad primam vertebram lumbalem iam desinit, atque in chordam tandem abit, quae ad coccygem usque protenditur (*a*). Hinc itaque minor firmitas durae & piae meningis, ut facilius relaxari & extendi possint.

3) Crassissima cartilaginum intermediarum & articularium indoles; intermediae quidem

(*a*) MONRO tab. X. fig. 1. — MAYERS anatom. Tafeln, Heft V. Taf. IV. fig. 1. 2.

obducuntur fasciae longitudinalis posticae fibris transversis (*a*): sed adeo laxae & crassae sunt cartilagines, ut interne humore mucilaginoso repleantur (*b*).

4) Processus spinosi maxime distant in vertebris lumbalibus, ipsique articulares cartilaginibus multo crassioribus praediti sunt quam in ceteris columnae vertebris (*c*).

26.

Cum autem hiatus naturalis in medio fere osse sacro existat, nullo processu spinoso, nec nisi cartilagine & pinguedine, vel in adultis, obtectus; quaeritur, cur non hic potius, quam in lumbali regione, oriatur hydrorrhachicus tumor? Solvenda haec quaestio eo modo mihi videtur, ut respiciamus ad fontes hydrorrhachiae, qui in viscido humore latent, inter duram meningem & fasciam ligamentosam obvio. Fascia vero haec & durae meningis ipsum involucrum in medio fere osse sacro cessare solent, ut itaque in eo hiatu nullus adsit fons colluviei serosae. Ra-

(*a*) LODERS syndesmolog. Tafeln, Tab. XVII. fig. 6. (21. 22.).

(*b*) SOEMMERINGS Knochenlehre §. 345. — WINSLOW Tom. 1. §. 309. p. 344.

(*c*) SOEMMERINGS l. c.

rissimo casu tamen, quem WELSIUS notavit, hic hiatus sedem hydrorrhachici tumoris constituit.

VI.

CURATIO.

27.

Vulgaris est animadversio, quae nostris temporibus cuique fere tonsori nota est, operationem huius tumoris cane peius & angue fugiendam esse, cum aëris aditus ad medullam aut ad nervos denudatos corruptionem, & periculum insigne producere soleat. Hinc sectionem aut deligationem tumoris letalem esse, plerique affirmant: experientia edocti hoc testantur MORGAGNIUS (*a*), BURGIUS (*b*), SPIELENBERGER (*c*), LINCKIUS (*d*), BAUHINUS (*e*), HEVERMANNUS (*f*), STOLLIUS (*g*). Mors

(*a*) Ep. XII. n. 16.
(*b*) Eph nat. cur. dec. II. a. 6. o. 58. p. 143.
(*c*) *ib.* dec. I. a. 3. o. 107. p. 151.
(*d*) Act. nat. cur. Vol. I. o. 74. p. 128.
(*e*) BONET sepulcr. Lib. IV. sect. 2. §. 13. p. 276.
(*f*) Vermischte Bermerkungen, Th. I. S. 305.
(*g*) Rat. med. Vol. VII. hist. 50. p. 217.

plerumque subito sequebatur, praegressis epilepsia, soporoso statu & gangraena tumoris aperti.

Exstant tamen casus, ubi punctio haudquaquam tantopere letalem effectum haberet. *Io. Maur.* HOFFMANNUS felici successu eam instituit (*a*): GREEVIUS quoque vidit infantem operationi superstitem, deinde vero hydrocephalo extinctum esse (*b*). Memoratu sane digna observatio CAMPERI, qua confirmatur faustus punctionis eventus in iis casibus, ubi sub fascia tantum vaginali latuerit latex aquosus (*c*). Infans, cuius tumorem hydrorrhachicum secuerat Chirurgus, ultra quatuordecim annos postea vixit. Quodsi itaque punctio suadenda est, nonnisi in eo casu instituenda videtur, si infans plurium annorum hydrorrhachiam externam a nativitate inde passus fuerit, si itaque partes iam roboris plus acquisiverint.

28.

Commendantur praeterea subligationes tu-

(*a*) Eph. nat. cur. dec. II. a. 5. o. 208. p. 431.
(*b*) Verhandel. der Maatsch. te Vlissingen, D. VI. S. 605.
(*c*) BELL Chirurgia T. IV. p. 338.

moris (*a*) setacea & fonticuli (*b*), vini scillitici externus usus (*c*), cataplasmata exsiccantia, adstringentia, quae profuisse in variis casibus dicuntur. Adeo autem letalis indolis morbus hic plerumque esse solet, ut, priusquam eiusmodi remedia applicuerimus, infantem iam atrocia sua enecaverit.

(*a*) BELL p. 337.
(*b*) DESAULT & RICHTER apud BELL p. 341.
(*c*) HEBENSTREIT ib. S. 339.

OPUSCULUM IV.

DE
DOLORE FACIEI *PROSOPALGIA* DICTO
DISSERTATIO
QUAM
Ienae anno MDCCXCVI. publici iuris fecit
IOANNES MARTINUS WEISSE
MEDICUS REVALIA-ESTHONUS.

Nullus sane eſt morbus, quo nervi non patiantur, quia illorum ope omnia percipimus atque sentimus, quae corpus noſtrum quovis modo adficiunt.

Nervi autem duplici modo patiuntur: vel immediate, quando ab aliqua cauſſa ipſi afficiuntur; vel mediate, quando ab illa partes nervis vicinae infeſtantur. Hinc cognoscitur, pro diversa harum cauſſarum sede symptomata quoque variare, atque modo plus, modo minus vehementia eſſe debere.

Ad primum morborum genus prosopalgia pertinere videtur, quia praeter dolorem,

faciei acerbum, nihil quod praeternaturale habendum ſit, in ulla parte deprehendimus. In ea faciei regione, quam dolor occupat nec rubor, nec durities, nec tumor conspicitur, & tamen dolor eſt vehementiſſimus, atque haud raro convulſiones musculorum sese adiungunt.

Dolor varias faciei partes adficit vel maxillam superiorem, vel inferiorem; hanc tamen rariſſime, nec non tempora regionem orbitae aliaque loca. Dolor eſt vehementiſſimus, in totum remittit, atque in die plusies, immo saepe ſingulis minutis revertitur, a quovis motu tactuque, oris motu ac manducatione revocatur.

Hoc malum foeminas magis infeſtat, quam mares, & illas quidem iam aetate provectas, quo tempore menſtrua ceſſant, aut iam ceſſarunt, nec tamen foeminae aetatis floridae ab hoc morbo semper liberae sunt.

Quantum ego quidem perspicio, dolor faciei conſiſtit in ſtagnatione, quae in subtilioribus vasculis nervorum cutis accidit (*a*). Haec in illis levem, nec conspicuum tumorem generat, qui medullam nervi irritat,

(*a*) Huncce morbum indolis rheumaticae eſſe autumant Medici, qui saepius in ipſius curatione versati sunt (*Editor*).

eoque vehementiſſimum dolorem inducit. Hic dolor non conſtans eſt, saepe exoritur, ac subito evanescit. Non omnis preſſio externa eum suscitat. Hoc ſingulare phaenomenon vix alio modo explicari poſſe videtur.

Exc. REILIUS propagationem irritamentorum spiritualium & impreſſiones sensuales ad sensorium commune duas diversas potentias eſſe ſtatuit. Rationes, quibus haec sententia nititur, in libro infra allegato exposuit (*a*). Inter omnes conſtat, nervos conſiſtere ex vagina ac medulla. Potentiam irritamenta spiritualia ad corpus propagandi REILIUS vaginae nervorum ac potentiam irritamenta sensualia ad sensorium commune deferendi medullae tribuit.

Quicunque igitur in corpore exoriuntur dolores, modo ubi sensus adeſt, oriri possunt: sensus vero ex mente REILII in medullosa nervi parte locum habet. Hoc sensu ab aliqua cauſſa aucto, dolor oritur. Neque tamen omnes dolores in medulla nervi quaerendi sunt, atque sensu in aliqua parte cessante, dolori nullus ibi locus eſt.

Motum etiam ſine sensu adeſſe poſſe

(*a*) *Archiv für die Phyſiologie* von *D. Ioh. Chriſt.* REIL, Erſten Bandes zweyten Heft: pag. 3 -- 20.

REILIUS arbitratur, quia ille in alia parte, videlicet in vagina nervi, residet. Ubi vero musculus irritamento spirituali movetur, id mea quidem sententia, absque sensu fieri nequit, quamvis longa faciat consuetudo, ut animum non advertamus, nec eo minus sensorium commune impressionem participat. Atque re ita posita, etiam varia, quae in dolore faciei deprehenduntur, symptomata, facile explicare posse arbitror.

Dolor faciei, ut iam antea dixi, consistit in stagnatione, quae in exiguis vasis vaginae nervorum accidit. Quo facto medulla nervi non potest non irritari; impressionemque sensualem libere ad sensorium commune propagare nequit, quia vasa stagnantia hic sensus augent, doloresque inducunt. At non quaevis impressio sensualis dolorem parit? Omnino. Sed nervo infra locum effectum presso, medulla nervi potentiam suam in sensorium commune agendi, non rite ac libere exercere potest, pressione irritamentoque vasorum stagnantium impedita, unde dolores oriantur necesse est. Pressio, etiam validior, quae digito fit in regione loci affecti dolorem non affert: sed hoc in casu nervus supra stagnationem premitur; hinc propagatio impressionis sensualis sine impedimento libereque ope potentiae medullae ad sensorium commune fit,

& dolor non oritur. Motus musculorum faciei, oris &c. mea sententia dolorem sequenti modo inducit: musculus excitatur, irritamento a sensorio communi per vaginam nervi ad musculum facto, quo iste contrahitur. Quae contractio, ut supra iam dictum est, etiam sensorium commune excitare debet, adeoque impressio a musculo facta per potentiam medullae ad sensorium commune propagatur. Quibus omnibus in musculis faciei, ubi nervus patitur, factis, dolor non potest non exoriri, quia impressio a musculo facta non libere per medullam propagari potest: rursus irritantur, reditque dolor.

Ex hac rei interpretatione etiam frequentior reditus plenariaque cessatio doloris optime explicari potest. Omnia irritamenta & animi & corporis non semper adsunt: tunc utraque potentia quiescit, atque nullus urget dolor. Sed saepe utriusque generis irritamenta redeunt! Quo facto utraque potentia alternatim excitatur; hinc crebrior reditus absentiaque doloris.

Caussa doloris faciei praedisponens est debilitas vasorum cutis nervorum in illis partibus a contusione, pulsu, in primis a dentibus cariosis &c. Caussam occasionalem praebent omnia ea, quae stagnationem in vasis

debilitatis producunt. Hunc pertinent omnia acria (*a*).

FOTHERGILLIUS (*b*) commemorat aliquot casus huius doloris, qui singulis momentis rediit, interdiu tamen vehementior fuit, quam noctu. „ Cauſſam mali, inquit, nescimus, nec facile reperire poſſumus, atque malum eſt immedicabile, vehementer pertinax, nec remediis efficaciſſimis cedit. Homo, quem hic dolor exercet, vitam agit miserrimam, atque sola morte a cruciatu suo liberatur ". Pluribus rationibus adductus FOTHERGILLIUS cauſſam primariam acrimoniam cancrosam eſſe ſtatuit, quam ob rem extractum cicutae magnopere commendat, eiusque praeclaram virtutem teſtatur. Cicuta dolorem licet non in totum tolleret, tamen diminuit.

(*a*) Acrimoniam ibi ſtagnantem ex prava vasorum actione pro cauſſa accusavit PUIOL (*Eſſai sur la maladie de la face &c.*). Morbum hunc ex gaſtricis vitiis orientem obſervavit VOGLER, eumque deſcripſit in Diario medico ill. BLUMENBACHII, cui titulus *Medicinische Bibliotek* II. B. 506. Ex medullae spinalis affectione originem habere poſſe aſſerit LENTINIUS (BLUMENBACH *Med. Bibliot. II. Band. p.* 156.). HEYSHAMIUS (*Medical.Commentar. I. n.* 30.) larvam oeſtri in antro HYGMORI haerentem vidit, quae gravioris prosopalgiae symptomatibus in cauſſa fuit (*Editor*).

(*b*) The works of FOTHERGILL Vol. III pag. 219. Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch für praktische Aerzte 1. Theil 3. Band pag. 565.

Ad finem commemorati tractatus Auctor versionis germanicae (a) refert dolorem faciei foeminae XIX. annos natae a suppressa scabie ortum. Hic dolor saepe revertebatur, atque maxillam sinistram tenebat: subinde remittebat, aegram autem per totam vitam vexabat. Atrox sane & longum malum! misera enim ad LXXII. ann. vitam perduxit. Inprimis vero manducatio & motus oris, sub elocutione dolorem reducebant. Maxilla intumescebat, superveniebat fortis salivae fluor, quo corpus vehementer emaciabatur. Ceterum cibos adpetebat ac bene digerebat, nec laborabat febre. Aliquot ante obitum annis foemina scabie sicca corripiebatur, atque hac incidente, dolor discedebat. Adhibito WERLHOFII unguento ad scabiem, scabies evanescebat, at dolor statim redibat. Omnium aliorum medicamentorum usus erat irritus.

Similem casum enarrat ill. SELLE (b). Omnia, etiam efficacissima remedia adhibita irrita erant. Nec infricatio quidem unguenti Neapolitani iuvabat, etsi ill. SELLE illud ad XVI. usque uncias infricari iusserit. Quibus

---

(a) Ibid. Note von dem Herausgeber am Ende der Foterghillschen Abhandl.

(b) *Neue Beyträge zur Natur- Arzneywissenschaft*. Erster Theil. Berlin. 1782. Seite 27.

loci infricatum fuerit, non indicatum est. Neque cicuta salutarem prodidit effectum. Malum ex acrimonia cancrosa enatum fuisse idem Vir ill. existimavit.

Cel. LENTIN (*a*) quandoque extractum cicutae profuisse vidit, addito sulphure aurato liquido. Observationes doloris faciei, quas idem Vir peritissimus exposuit, memoratu quam maxime dignae sunt. Etiam fonticulos a cl. PUIOL (*b*) commendatos cum emolumento adhibuit.

In ill. HUFELANDII Annalibus (*c*) casum notatu dignum exposuit cl. RADEMACHER, ubi metastasis profuit. Quum caussam detegere non posset, malum illud ab aliqua acrimonia, nervos harum partium irritante exortum esse, atque diaphoreticis tolli posse sibi persuasit. Iussit igitur, ut vena aperiretur, deinde dedit sex grana extracti aconiti ab initio ter de die, dein quater una cum decocto ex ligno sassafras & guaiaci composi-

---

(*a*) *L. F. B.* LENTIN *Beyträge zur ausübenden Arzneywissenschaft*, Leipsig. 1789. Seite 334.

(*b*) PUIOL'S *Abhandl. über die Krankheit des Gesichts, welche der schmerzhafte Trismus genennt wird*, übersetz von SCHREYER; Nürnberg und Altdorf 1788.

(*c*) C. W. HUFELAND *Journal der praktischen Arzneykunde und Wundarzneykunde*. Jena 1796. 2. Band. 4. Stük. Seite 614.

to. Hisce remediis per octo dies adhibitis dolor decrevit, atque in loco afflicto subtilis herpes farinosus exortus est, quo facto aegra ad sanitatem restituta est. Itidem laudatus Auctor in simili casu eadem medendi ratione cum fructu usus est. Plura exempla doloris faciei allata apud ill. BLUMENBACH (*a*), cl. BONNARD (*b*) legi possunt (*c*).

(*a*) BLUMENBACHS *Medicinische Bibliothek* zweyter, und dritter Theil erstes Stück.

(*b*) *Journ. de médecine*. Juil. 1780. p. 50.

(*c*) Cel. REIL huius morbi exemplum refert, quod a Medicis considerari meretur: propriis hinc verbis referre existimo.

„ Vir quidam, W-n, verbi divini minister, LX. „ circiter annos natus, temperamenti cholerici, coloris „ faciei pallido-flavi, gaudebat robusto & quadrato cor- „ poris habitu, lacertis validis, humerisque latis, sed „ statura mediocri. In matrimonio sterilis erat, ad pro- „ fusum sudorem a leviori corporis, vel animi inten- „ tione proclivis, haemorrhoidibus caecis, cum perinaei „ sudore & pruritu ingenti obnoxius, ceterum sanus nul- „ loque umquam graviori morbo tentatus.

„ Ante sexdecim annos, in regione dentium incisi- „ vorum, corripiebatur acerbissimo dolore pungente, „ sed fugitivo, dolorque momento temporis, fulguris „ instar transiens, uno ictu adlato, disparebat. In re- „ centiori morbo hoc phaenomenon per duodecim & „ plures hebdomades, in adulto per brevius intervallum „ recurrebat; at ratione modi & loci fere semper mu- „ tatum. Post aliquot tempus dolor constantius per „ aliquot annos in regione medii dentis molaris in „ maxilla superiori dextri lateris apparebat. Ultimo „ biennio a dentibus molaribus superioribus ad tempora

Curatio. Hic morbus, si topicus est, etiam ut talis tractandus est. [illegible]

„ ascendens, iterumque descendens, ipsam maxillae dex-
„ tram articulationem nonnumquam occupabat. Hoc in
„ artu dolor ardens, in dente magis pungens & scindens
„ erat. Aliquoties a dente emanans, ipsam linguam ag-
„ grediebatur, eamque omnem, usque ad eius apicem,
„ invadebat. Ultimis diebus numerus ictuum ita incre-
„ scebat, ut una hebdomade, die, imo & horae spa-
„ tio saepius repeterentur. Dolor quamvis non perse-
„ veraret, sed electricae percussionis instar cito percel-
„ leret; tamen ita acerbus erat, ut faciei contractio-
„ nes, concussiones totius corporis, tremoresque ar-
„ tuum sequerentur atque omnia, manibus prehensa,
„ illis exciderent. A crudeliori dolore spasmus, in ge-
„ na dextra excitatus ingentem salivae copiam ex ductu
„ Stenoniano, cum levamine exprimebat. Dolor nun-
„ quam sponte, sed semper a caussa hac vel illa exter-
„ na suscitabatur. A manducatione, & quidem inci-
„ piente (nam in continuata dolor disparuit), a de-
„ glutitione, a leviori linguae motu, a locutione subiti
„ ictus emicabant. In sermone interrupto seu colloquio
„ hi dolores semper a nova locutione movebantur; in
„ oratione vero continuata dolores, quinque minuta pri-
„ ma saevientes, assopiebantur, ut deinde aegroto con-
„ ciones ad populum sacras, sine dolore habere liceret.
„ Finita vero oratione mox a dissertationibus interru-
„ ptis denuo apparebant. Porro levior contactus genae
„ a digito, caule pennae, tonsura, inunctione barbae,
„ sapone facta, acerbissimo cum tremore artuum, do-
„ lorem irritabat. Imo nonnunquam, quod miraberis,
„ his ictibus cum universo nervorum systemate mobi-
„ lissima erat sympathia, ita, ut si oppositum capitis
„ latus, vel colli, brachii, femorisque locum ali-
„ quem suspenso digito tangeres, seu scalperes, inde
„ suscitarentur. Haud raro dolor ab ipsa prurientium

externe adhiberi possunt remediorum, praestantissimum esse unguentum Neapolitanum persuasus sum. Hoc nempe unguentum facile resorbetur, stagnationes tollit, & irritando, vasa

„ haemorrhoidum caecarum frictione refricabatur. Hae „ vero corporis superficiei regiones variabant, ut mox „ haec, mox illa, in consensum acta, attactum sine „ doloris suscitatione, non ferret. Absque uno vel al„ tero horum irritamentorum silebat, ideoque in som„ no, vel in integra corporis, & praecipue oris quiete „ silebat, mane vero cum primo oris a colluvie motu, „ denuo sese efferebat. Somnum tot per annos non „ turbaverat morbus, exceptis binis noctibus, quibus „ tum odontalgiae similis, cum febre, & pulsu in parte „ affecta, iunctus fuerat.

„ Ceterum locus, ictibus afflictus, sanus videba„ tur ferebatque pressionem fortiorem sine dolore, imo „ frigus & calorem. Dentes sani erant, durissimaque „ quaevis mordebant: dens sanus, spe levaminis extra„ ctus, nullum levamen praestabat. Cancrosae, scabio„ sae, aut alius specificae acrimoniae suspicio nulla aderat.

„ Plura adhibita sunt medicamenta, interna sapo„ nacea & visceralia, antirheumatica solemnia, prae„ terea cicuta, belladonna & mercurius dulcis, ad sa„ livationem usque buccis infricatus; externe vesicato„ ria, linimenta varia, embrocha, sed omnia frustra. „ Ab electricitate momentaneum levamen erat".

Innumeras extant apud Medicos huius morbi observationes praeter relatas. Prosopalgia letali casum refert BALLONIUS: enormem malae sinistrae exstat in *Actis Naturae Curiosorum*, Vol. I., Observ. 161.: periodicam persicitione nervi infraorbitalis sanatam observavit VAN-WY (*Verhandelingen van Vlissingen*. *VIII. B. p. 624.* (*Editor*).

vasa subtilissima movet ad noxiam materiam expellendam. Praeter haec mercurius omnes quoque secretiones auget; hinc fit, ut acria viscidaque fluida, iam resoluta, e corpore expellantur. Vasis vero vaginarum nervorum a suis stagnationibus, ac materia acri liberatis, etiam dolorem cessare necesse est. Verum, si vasa tantum stagnationibus liberantur, suam autem debilitatem retinent, nova stagnatio oriri & malum redire potest. Hinc opus est, ut debilitas, quantum fieri potest, roborantibus externis, atque internis removeatur. Externe balnea frigida faciei inprimis prosunt.

Si autem morbus topicus non est, ratio totius reliqui corporis habenda est. Humores vitiosi, quantum fieri potest, corrigendi sunt, acrimoniae autem imminuendae. Id si Medicus fecerit, felicem curationis eventum sibi promittere poterit.

Observatio I.

Foemina quaedam, LVI. annos nata, quae quidem nupta fuerat, sed numquam a viro conceperat, post obitum mariti cum aliis commercium habuit. Annum cum ageret quadragesimum quintum fluxus menstruus cessavit, ita tamen, ut remaneret fluor albus. Quandoque deinde de doloribus dentium conquesta est, quos vero, cum per aliquot tan-

tum dies durarent, neglexit. His postea maiorem in modum redeuntibus foemina vexabatur dolore in regione auris, qui antrorsum ad os iugale atque sursum ad genas deferebatur, adeoque increscebat, ut neque manducare, neque loqui, neque dormire posset. Interdum per horam integram vel dimidiam dolor evanescebat, dein vero velociter, instar fulminis, in hisce partibus, sive in pristina sede redibat. Huius doloris caussa cum in cariosis dentibus latere videretur, hos evelli iussit Medicus, cuius opem petiit. Dein, cum remaneret dolor, plethora, congestioque ad caput pro caussa mali habita est, ideoque partibus adfectis hirudines applicatae sunt, sed frustra. Foemina ipsa deinde adhibuit varia medicamenta sudorem excitantia, laxantia, ac sanguinem depurantia, sed dolor substitit alternis vicibus, vehementior, vel lenior.

Aegra, quum ill. STARKIO se committeret, qui eiusmodi dolorem iam pluries observaverat, accepit ab illo decoctum ex ligno iuniperi & herba millefolii paratum & sequentem pulverem:

℞. *Gumm. guaiac. drachm. duas,*
Flor. sulph. drachm. unam,
Rad. ir. flor.
Sem. foenicul. ana drachm. unam & semis,
Sacch. alb. unc. unam & semis.
M. f. pulv. D.

Vesperi accepit parvam dosin mercurii dulcis opiique. Dolor diminuebatur, mox autem redibat. Ad tollendam irritationem nervorum, ill. STARKE varia narcotica, e. gr. opium purum, extractum hyoscyami & aconiti adhibebat: haec vero remedia non solum dolorem non minuebant, sed potius augere videbantur. Tunc remotis medicamentis internis ad externa remedia confugiebat, atque unguentum Neapolitanum cum oleo succini quotidie ad drachmam unam & plus infricari iubebat. Quo facto dolor brevi tempore penitus evanuit. Per tres fere annos foemina nullum dolorem percepit: dein vero, fortassis a refrigerio idem acerbus dolor rediit. Adhibito unguento simili ex ungu. pomat. uncia una, & Calom. jj. composito, dolor post aliquot dies plane cessavit nec unquam rediit. Quo facto Vir ill. nonnulla remedia roborantia praescripsit adeoque curationem absolvit.

Observatio II.

Alius dolor, dolori faciei simillimus, dum partim in capite residet, partim certe ex eodem fonte oritur, praeterea ex iisdem quoque nervis generatur, licet alium locum occupet, est *dolor processus mastoidei*, qui initio tanquam levis dentium dolor incidit,

nonnumquam autem tanquam species levis trismi vehementioribus doloribus iuncta apparet, tandem vero processum mastoideum adficit, unde vel antrorsum versus aurem, vel retrorsum ad occiput, aut sursum ad tempora, aut deorsum ad collum defertur. Hic dolor etiam crebrius revertitur. Apud plerosque aegrotos morbus iste sequenti ratione se exhibuit: Vesperi incolumes lectum peterant, mane autem expergiscebantur cum sensu quodam singulari in musculis colli, ac si caput aliquantum flexum fuisset, musculique tensi fuissent. Quamdiu aegri se non movebant, nihil incommodi sentiebant; simulac vero aliquo modo caput movebant, illud vel leniter erigentes vel antrorsum vel retrorsum flectentes, illico eos vexabat vehemens dolor, qui in processu mastoideo fixam habebat sedem. Hic dolor in dies increscebat, ita, ut horum miserorum nonnulli ne minimum quidem capitis aut labiorum motum exserere nec ullam fere vocem edere possent, dum molestus ille sensus aderat. Tum vero nec musculorum relaxatio, nec extensio levamen adferebat, sed utraque eundem effectum, nempe gravem dolorem, producebat: sola immota fixaque capitis positura dolorem minuebat.

Interdum dolor eo usque augebatur, ut aegri nec stare, nec brachium movere, nec os

ita aperire possent, ut potum cibumque caperent. Hic dolor nonnumquam per decem, duodecim dies, nec raro per tot hebdomades subsistebat: saepius etiam, at non semper, febris quoque aderat, praecipue in iis, quibus maior erat irritabilitas. Interdum dolor sponte ac subito cessabat; interdum vero cedebat per aliquod tempus, duobus tribusve ulceribus, aut furunculis in collo ortis. Quod reliquum est, neque evacuantibus, neque diaphoreticis remediis, nec etiam vesicatoriis, diu continuatis, aut electricitate, frictionibusque aut linimentis volatilibus tolli poterat dolor iste, sed solo usu unguenti sequenti formula praescripti:

℞. *Ungu. alth. unc. unam,*
Ol. succin. drachm. semis,
Calomel. scrup. unum.

M. D. S. Infricetur aliqua pars quovis bihorio vel trihorio. Salutarem vero huius remedii effectum non oleo succini, sed soli mercurio tribuendum esse, inde apparet, quod etsi plura linimenta unguentaque cum hoc olei aliisque similibus oleis aethereis infricarentur, dolor non cederet. Citius adhuc evanescebat dolor, cum pulvis noster ex guaiaco cum aethiope minerali, aut mercurio dulci adhibebatur.

Observatio III.

Puella quaedam, annos viginti nata, nullo morbo, nisi rheumatica biliosa febre, laboraverat, a qua tamen ad pristinam sanitatem restituta fuerat, ita, ut ne ullum quidem pristini morbi vestigium superesset. Mensium fluxus semper regularis fuerat; atque in hoc quoque morbo rite fluebant menses. Mense autem Octobri anni MDCCXCV. conquerebatur de dolore maxillam inferiorem lateris dextri occupante. Hic dolor mox quasi dilacerans erat, mox tendens, mox pungens, adeo, ut aegrota sensum illum, quem percipiebat, non satis perspicue verbis exprimere posset. Dolor vero singulis diebus aliquoties revertebatur, maxime post meridiem, atque multam molestiam quotidie fere auctam foeminae afferebat. Simulac illa aliquid cibi sumeret, dolore suo vexabatur, isque impetum suum, & quidem maiori cum vi, etiam tunc redintegrabat, quando aegra in aere libero versabatur, atque in hypocaustum calidum intrabat. Ante doloris impetum latus affectum frigescebat, ac musculi illius loci intumescebant: pulsus erat aliquantum irritatus ceterum naturalis. Quibus praegressis, dolor irruebat, atque per quadrantem vel etiam dimiduum ho-

rae, atque interdum etiam diutius, durabat. Eorum tamen symptomatum neque duratio, neque tempus, quo redirent, praedici poterat. Vesperi, cum lectum peteret aegrota, dolor apparebat, eratque longe gravior, quam inter diu: dein vero, id quod miserae magno solatio erat, post quietum situm horae unius & dimidiae, dolor subito evanescere solebat, quo facto somnus plerumque insequebatur. Ab omni calido cibo potuque abstinere debebat, quippe qui dolorem excitabant. Talis erat puellae status, quum se mihi committeret. Quae cum dentibus cariosis laboraret, atque iam antea doloribus dentium vexata fuisset, & neque in facie, neque in ore aliquid haberet, quod pro caussa mali haberi posset; initio dentes cariosos pro caussa doloris habendos esse existimabam. Sed paullo post me in errore fuisse videbam: aegrota enim cibos frigidos in latere adfecto non minus, quam in sano, manducare poterat, sine omni doloris dentium sensu. Ipsa quoque dicebat, dolorem non in dentibus, sed potius in carnosa faciei parte sedem suam habere. Dolor erat fixus, atque in parvo loco, & quidem in medio dextrae maxillae inferioris residebat. Quum locus affectus externe premeretur, dolor, tam in paroxysmo augebatur, quam extra illum redibat: hoc phaenomenon in doloribus alia-

rum partium non animadverteram. In latere maxillae exteriori nihil aderat, quod caussam doloris indicaret. Nulla rubedo, nulla durities externe conspicua erat, sed levis solummodo tumor, qui paullo ante paroxysmum adparebat & cum illico disparebat. Huius morbi indolem probabiliter rheumaticam esse mihi persuadebam, quia aegrota in cubiculo humido habitabat eamque ob caussam remedia, quae in eiusmodi morbis dari solent, adhibebam, additis tamen medicamentis evacuantibus, propter sordes in primis viis haerentes. Purgatis vero primis viis sequentem formulam praescribebam.

℞. *Tart. Vitriol. drachm. duas,*
Pulv. Gumm. guai. drachm. unam,
Antim. crud.
Extr. aconit. ana scrup. unum,
Sacch. alb. drachm. unam.
M. f. pulv. D. S. Capiat mane & vesperi cochlear. parvum.

Simul praescribebam decoctum ex ligno guaiaci, iuniperi, ſtipitibus dulcamarae & herba millefolii. Externe linimentum volatile cum oleo succini infricari iubebam, atque aegrae convenientem vitae victusque rationem commendabam. Initio dolor aliquantum minuebatur, sed deinde dolor gravior evadebat, atque res aegrae in peius ruebant. Antea raro ante meridiem doloris impetum ex-

periebatur aegrota, nunc etiam ante meridiem atque noctu per tres quatuorve horas illum percipiebat. Iam quoque dolor non amplius in uno loco residebat, sed vagus modo maxillam superiorem & tempora, modo magis aurem internam occupabat. Ante impetum saepe, maxime vesperi, non tamen semper, frigus aderat illudque insequebatur calor. Nunc frictiones tentabam, sed frustra. Intra triduum tria vesicatoria pone aurem adplicari iubebam, sed nullum levamen insequebatur. Dirum illum malum iam duodecim per hebdomades saevierat, atque miseram vehementissimum in modum vexaverat. Aderat magna corporis debilitas & macies, quia dimidium noctis vigilando peragebat aegrota ciborum appetentia prorsus nulla, atque dum cibos caperet foemina, redibant increscebantque dolores, quod antea factum non erat. Notatu dignum & hoc est. In principio morbi aegra cibis frigidis vesci potuerat, nullum doloris impetum sentiens: in praesenti vero ab omnibus frigidis abstinere illam oportebat, quippe quae acerbissimis doloribus illam adficiebant. Calidi cibi potusque minus incommodi afferebant, nec tamen raro & hos dolor insequebatur. Pedes semper frigidos habebat, quum antea semper, maxime aestatis tempore, sudarent: hinc saepe pediluvia com-

mendabam ad sudorem reducendum. Quo facto dolor aliquantum imminuebatur; mox vero priſtina vehementia redibat, atque pediluviorum usum fruſtraneum eſſe demonſtrabat. Nunc *unguentum* HOMII (*a*) adhibebam, illudque sequenti formula praescribebam.

℞. *Camph. scrup. unum,*
solve in
Ol. terebinth. drachm. duab.,
adde
Sal. C. C. vol. gran. quindecim,
Sem. cumin. drachm. duas,
Ungu. nervin. unc. semis.
M. f. unguentum parti adfectae adplicandum.

Hoc unguentum licet ingratum aegrotae eſſet, tamen illud illiniebat, ut dolore liberaretur. Simul quoque commemorata remedia interna continuabam, atque vehementer gaudebam, quum viderem, dolorem decrescere, & paullo poſt ex toto evanescere. Laetans hoc malum horribile sublatum eſſe, mulierculae suadebam, ut hoc unguento per aliquod tempus adhuc uteretur, id quod etiam lubenter fecit.

Sed proh dolor! malum poſt octodecim dies denuo redibat, locumque priori oppoſitum occupabat. Ad illum usque diem aegra domi

(*a*) HOME'S Medical. Esays S. 297.

& in cubiculo manserat, nec quidquam commiserat, quod pro caussa reditus doloris haberi potuisset. Primum nempe dolor sinistri lateris maxillam superiorem occupabat, deinde totum dimidium capitis. Hic postquam per dimidium horae adfuerat, subito ad dextrum latus maxillae inferioris descendebat; tunc aurem dextram internam petebat, ibique cruciatus per dies noctesque excitabat. Vesperi forti frigore corripiebatur aegrota. Extremae corporis partes semper glaciei instar gelidae erant. Per totam noctem somnum capere nequibat. Anxietate doloreque discruciata stragula de pectore removebat, & in lectulo devolvebatur, & pulvinaria mordebat, donec dolore stupefacta ac delassata sopore corriperetur: dolor enim circa finem paroxysmi totum caput occupabat, maxime vero, ut iam dixi, aurem dextram interiorem. Hoc modo dolor singulis diebus, maxime vero noctu, saeviebat, aegrotaque per sex fere menses vitam suam miserrime ducebat.

Nunc omnia a celeberrimis Medicis in eiusmodi dolore commendata remedia adhibebam; sed & horum medicamentorum vim dolor eludebat. Aegra ut noctu non nihil quietis haberet, etiam opiata largis dosibus capiebat, sed frustra. Malum in peius ruebat, opiumque vehementissimi dolores insequebantur. Nec

cicuta, quam magna dosi dederam salutarem effectum habebat. Tandem in mentem mihi veniebat, ill. STARKIUM, Praeceptorem summopere colendum, in collegio practico, unguentum Neapolitanum tamquam unicum in prosopalgia remedium, commendasse. Sine mora hunc meum Praeceptorem adibam, qui meum consilium adprobabat. Nunc hoc unguentum magnitudine pisi, singulis diebus mane ac vesperi ambabus maxillis infricari iubebam. Post tertiam adplicationem dolor lateris sinistri cessabat: in dextro subsistebat quidem, sed parvus erat. Post sextam adplicationem, dolor, qui tam diu, tamque crudeliter saevierat, ex toto evanescebat. Non insequebatur salivatio, licet muliercula infricationes adhuc aliquoties repeteret; dentes modo aliquantum ex suis alveolis eminebant. Interne decoctum supra indicatum continuabat, atque etiam tincturam guaiaci volatilem sumebat. Praeter haec, victum convenientem ac nutrientem commendabam, additis tandem medicamentis roborantibus. Hac ratione medendi aegra omni dolore liberabatur, eius corpus reficiebatur, & ad pristinum robur revertebatur, ita ut ad hunc usque diem optima sanitate fruatur.

OPUSCULUM V.

DISSERTATIO SISTENS

OBSERVATIONEM HYDATIDUM IN HEPATE INVENTARUM UNA CUM PRAEMISSIS AD HANC MATERIAM SPECTANTIBUS

QUAM

Ienae habuit anno MDCCXCVII.

IOANN. THEOPH. GUILIELMUS AB ECKARDT

MEDICUS COBURGENSI.

PROOEMIUM.

Si omni in artis medicae parte multa sunt, quae vel obscura, vel non satis liquida, vel coniectura sola adsequenda dixeris, multa, in quibus factum quidem certum est, sed quam maxime incerta explicatio, multa, quae non semper eodem modo incidunt, sed ab eadem caussa longe diversissimos effectus ostendunt, & dubium faciunt Medicum, hoc etiam de morboso corporis humani statu, in quo phae-

nomena producuntur, mysteriis plena, *hydatidum* nomine notata, quam plurimum valere debet. Hac in doctrina obscurum quid, hactenus non satis investigatum & exploratum latitat. Neque hydatidum scaturiginem & modum generationis, utrum nimirum vis plasticae universalis, corpori, in quo occurrunt, insitae, producta sint, an vero vi vitali propria, ab illa non pendente, earum, quae animalium corpora adficere solent, ad instar procreentur, neque rerum conditiones iisdem & faventes, & noxias sufficienter noscimus. Immo vero ipsa symptomata diagnostica sunt obscura, latet ipsa medendi ratio. Quae a Medicis ad hanc rem attentis huc usque observata & scripta sunt, ad obscurum illud, cuius paullo ante facta est mentio, plane dissipandum minime sufficiunt. Opus est, ut facta plura colligantur & digerantur, ut comparatione iusta diversae Medicorum opiniones & coniecturae probabiles, aut reiici, aut stabiliri possint. Quae cum ita sint, & mihi specimen quoddam academicum elaborandum incumbat, cadaveris secti, in quo considerabilem hydatidum copiam reperire licuit, descriptionem dare, non superfluum putavi. Ante vero, quam casum ipsum enarro, fas est, quaedam huc usque prolata Auctorum exempla de hydatidibus quam brevissime commemorare. Sunt

illa, quatenus debentur Viris omni fide dignissimis, satis perspicua, nihilo tamen minus brevissimis illa ita complector verbis, ut hic illic distracta velut in quandam congeriem conferantur, & in unum adducantur conspectum. Quod quidem hoc consequemur, ut varientia eo facilius capi queant.

SECTIO I.

De Hydatidibus Auctorum observationes.

Illa hydatidum species, quae non, nisi humoris animalis accumulatio in extensa quapiam cellula existit (de qua mihi quaestio est), nequaquam cum illa confundenda est, quae, vermem vivum in se continens, a naturae perscrutatoribus regno animali adnumeratur, & *taeniae hydatigenae* nomine insignitur. Huius characteres Physiologorum praeceptis respondentes, nec hoc loco prorsus explicandos, ubi excipias, utramque speciem oculis ipsis iam ex eo distinguere licet, quod hydatidum humor in uno tantum, ex pluribus lamellis quamvis conflato, sacco continetur, fluidum autem in taenia hydatigena contentum binis includi videtur velamentis, ex quo sequitur, ut taenia, vesicae externae inhaerens, vesicae alterius internae speciem

referat. Haec ipsa, affirmantibus Auctoribus clarissimis, e. g. GOETZE (*a*), BLOCH (*b*), WERNER (*c*) aliisque, hydatidi soli nunquam inesse solet. Aliud discrimen in oculos incurrens, hoc est, quod hydatis fluido suo ita referta est, ut, incisione facta, fontis artificiose prosilientis ad instar prorumpat, taenia vero hydatigena vesicam sibi indutam laxius solummodo replet (*d*).

Testimonio naturae exploratorum, in alia nulla, nisi in animalium sugentium classe hydatides inventae sunt, frequentissime in hominibus & ovibus, rarius in porcis, bobus, simiis, leporibus, felibus, muribus &c. Partium corporis ratione habita, in quibus occurrere consueverunt, unicuique propemodum easdem obviam venire posse, non est negandum (*e*); creberrime tamen & in hepate, & in

(*a*) Naturgeschiehte der Eingeweidewürmer thierischer Körper. Blanckenburg. 1782. pag. 196.

(*b*) Abhandlung von der Erzeugung der Eingeweidewürmer. Berlin, 1782.

(*c*) Verm. Intestinal. praesertim taeniae humanae brevis expositio, Lips. 1782. p. 66. seq. & Continuat. p. 13.

(*d*) GOETZE l. c. p. 192.

(*e*) PLOUCQUET, Initia bibliothecae med. pract. & chirurg. Tom. IV.

in liene obveniunt: Id quod I. HUNTER (*a*), BAILLIE (*b*), SOEMMERING (*c*), GOETZE (*d*), CONRADI (*e*), FERRIAR (*f*) aliique afferunt. Ex corporibus etiam vivis easdem evacuatas effe proftant haud pauca exempla, v. c. ex pulmonibus per tuffim commotis, ex vefica urinaria per urinam, per anum, per abfceffum (*g*) cet.

In cavo thoracis, & quidem non solum in corde & pulmonibus, sed etiam in pericardii superficie tam interna, quam externa hydatides quasdam viderunt HALLER (*h*),

---

(*a*) Abhandlungen der Londonschen Gesellschaft zur Vermehrung des medicinischen Wiffens. Uebers. von ROOSE, Braunschweig, 1797. pag. 36.

(*b*) Anatomie des krankhaften Baues von einigen der wichtigften Theile im menschlichen Körper. Uebers. und mit Zusätzen von SOEMMERING. Berlin, 1794. pag. 134.

(*c*) In eius Zusätzen zu BAILLIE.

(*d*) L. c.

(*e*) Handbuch der pathologischen Anatomie. Hannover, 1796. pag. 190.

(*f*) Neve Bemerkung. Th. 2. No. I. p. 31.

(*g*) Med. Transact. Vol. II. pag. 486. Philosoph. transact. Vol. XXII. pag. 1797. & Vol. XXV. pag. 234. REILS Archiv für die Phyfiologie, pag. 486. FYNNY in the memoirs of the Lond. medical Society, Vol. II. art. 2. 1789.

(*h*) De corp. hum. fabrica. Vol. VI. pag. 480. not. *h*.

MORGAGNIUS (*a*) & HEVERMANN (*b*). In cavo abdominis paucae partes sunt, in quibus adhuc nullae observatae sint. Mox omnino, mox ex parte tantum illud repleverunt (*c*). In ventriculo SOEMMERING (*d*), in mesenterio BAILLIE (*e*), in hepate uterque se easdem invenisse affirmant. Illas omento interdum inhaerere, societas Berolinensium naturam perscrutantium litteris (*f*) prodidit. De vesica fellea id comprobant WALTER (*g*) iunior, & auctor quidam anonymus (*h*), de renibus FERRIAR (*i*). Uterus, hydatidibus adfectus, & LIEUTAUD (*k*) & cl. SAN-

(*a*) De sedib. & caus. morb. Epist. XXV. Art. 15.

(*b*) Physiologie 1775. I. B. pag. 202.

(*c*) *I. C.* POHL de hydrope saccato ab hydatidibus. Lips. 1747.
BRANDIS Versuch. über die Lebenskraft, pag. 7.
RUYSCH observat. anatomico-chirurg. Obs. XXV. cf. Thesaurus anatom.
I. HUNTER l. c.
WINSKIP in the Memoir. of the Lond. medical Society. Vol. II. Art. 32.
DESBANS. De hydrope peritonaei saccato. Götting. 1761.
VEIT in REILS Archiv f. d. Physiol. p. 486.

(*d*) L. c. pag. 84.

(*e*) L. c. pag. 116.

(*f*) Vol. I. pag. 348.

(*g*) Annotat. academ. pag. 84. n. 6.

(*h*) Medic. Communications Vol. I. pag. 101.

(*i*) L. & p. cit.

(*k*) Tom. I. pag. 335.

DIFORT (*a*) obviam venit; placentam vero, illas exhibentem, BIDLOO (*b*), SOEMMERING (*c*), REICH (*d*) & RUYSCH (*e*) viderunt, posteriori usque adeo in embryonis funiculo umbilicali easdem conspiciendi sese obtulit occasio (*f*). De testiculis idem testantur MORGAGNI (*g*) & SOEMMERING (*h*). Binorum casuum opportunitas, in ovariis illas observandi, & mihi ipsi (*i*) contigit.

Caput ipsum hydatidibus infestis exemtum non est. Nam in pia matre LIEUTAUD (*k*) & SOEMMERING (*l*), plexui choroideo adhaerescentes SOEMMERING (*m*), TREUTLER

L 2

(*a*) Observ. anatom. patholog. Lib. II. ibiq. cit.
(*b*) Exercit. medico-chirurg.
(*c*) L. c. p. 222.
(*d*) Vid. GOETZE. l. c. pag. 196.
(*e*) Thes. anatom. VI. Observat. pag. 32.
(*f*) Observat. XIV. pag. 15.
(*g*) Epist. IV. art. 30.
(*h*) L. c. pag. 203.
(*i*) Una vice in foemina, decimum nonum aetatis annum egressa, quinque post hebdomadibus a partu enteritide extincta; altera vice in muliere septuaginta annorum, summa virium prostratione deleta. Utroque in casu minor solummodo vesicae extitit, magnitudinem ovi columbarum adaequans, cui viscosus & subflavus humor inhaerebat.
(*k*) Tom. II. pag. 145.
(*l*) L. c. pag. 161.
(*m*) Ibid.

(*a*) BAILLIE (*b*) & FISCHER (*c*) notaverunt: hic vero, quem ultimo loco recitavi, eas quoque durae matris superficiei interiori infixas offendit (*d*). In ovium capitibus illi morbo caussam praebent, qui vulgo *Drehkrankheit* appellatur (*e*).

Casus vero, huc prae ceteris spectans, & memoratu dignissimus, sine omni dubitationis alea ille dicendus est, quem ill. RICHTER observavit (*f*). In uno eodemque homine permultos invenit saccos, hydatidibus repletos, partim inter musculos abdominales & peritonaeum sitos, partim in ventriculo, hepate, liene, vesica urinaria & pericardio occurrentes.

Hydatides nonnunquam singulae, interdum collectae occurrunt. In casibus a RICHTERO, BRANDIS, HUNTERO aliisque relatis, centenae & amplius praesto erant. Ubi

---

(*a*) De Echinorinchorum natura. Lips. 1791.

(*b*) L. c. pag. 261.

(*c*) Historia taeniae hydatigenae. Lips. 1789. Taenias hydatigenas plexus choroides amplectentes me observasse, iam alio loco (Vid. Opuscul. I. huius Volum. IV. *in annotatione pag.* 16.) mentionem feci. (*Editor*).

(*d*) L. c. §. 21.

(*e*) LESKE Von dem Drehen d. Schafe und dem Blasenbandw. im Gehirne derselb. als Vrsache dies. Krankheit, Leipz. 1780. §. 4. p. 91.

(*f*) Vid. LODERS Journal 3tes. St.

harum plures sese ostendunt, ibi maiori plerumque sacco, cuius parietes & notabilis crassitudinis, & duritiae sunt, includi solent. Id quod praecipuae in hydatidibus, hepar adficientibus, accidit. In eo quoque inter se differunt, quod nonnullae sacci commemorati superficiei internae adhaerescunt, nonnullae in fluido, quod simul in sacco deprehenditur, circumnatant. Ex BAILLIE observatione (*a*) styli minoris ad instar inter se mox nexae, mox a se invicem seiunctae reperiuntur. Secundum HUNTERUM (*b*) illarum vesica binis, secundum RICHTERUM (*c*) plurimis lamellis separabilibus consistit. Neque vero discrimen illud, quod intercedit hydatides spurias & taenias hydatigenas veras, iam supra notatum, cuius vi hae ex duplici vesica constare videntur, est permutandum. In earundem consistentia, contenti liquidi natura, peripheria & forma, aliisque conditionibus nihil ubique sibi consentaneum reperire licet. Quae omnia aetate forsan quam plurimum modificari, vero haud absimile mihi videtur.

Utrum harum hydatidum, in corpore

(*a*) L. c. p. 222.
(*b*) L. c.
(*c*) L. c. III. St. V. N.

humano inventarum, nonnullae taeniis hydatigenis vere adnumerandae sint, & vi principii vitalis iisdem proprii propagatae conserventur, an omnibus in casibus pro naturae tantum lusu & morbosae organisationis, cui insunt, productis habendae veniant, sequentibus innititur fundamentis. Animalis organisationis signa, si eximerentur, ex motione, sua sponte exercitata, iustam existentiae animalis vivi praesumtionem haurire liceret. Nunc vero de quibusdam, in animalium corporibus inventis, hydatidum speciebus satis abundanterque constat, non solum caput, hamulorum coronis (*Hackenkräntze*), vesicis sugentibus (*Saug-Blasen*), & sic porro instructum, collum, corpus aliaque organisationis requisita illis esse propria, sed etiam motionum vi propria producendarum eas esse capaces, quam ob rem supra omnem dubitationem id elatum esse videtur, animalium classem ab iisdem constitui specialem. Ad hydatides, humanis in cadaveribus quidem repertas, quod attinet, res quodammodo aliter se habet. Illa nimirum signa, animalibus propria, non semper, hoc vero (motionis spontaneae scilicet) in unico tantum, nec satis investigato casu (*a*), utraque vero in iisdem hydatidibus

(*a*) Vide casum, iam supra memoratum, quem naturae exploratorum Berolinensium Societas notavit.

ſimul nunquam observata sunt. Nihilo tamen minus illas animalium haud satis perfectorum species eſſe habendas, probabile reddi poteſt. Primo enim praeter cadavera humana reperiebantur etiam in aliis animantibus tales, id eſt, ſignis organicis diſtinctis deſtitutae, attamen moveri visae (*a*); secundo absentis motus cauſſa in eo forsan quaerenda videtur, quod ex hominibus, vita extinctis, paullo serius, cum ipsae iam deletae eſſent, eximiis ab Anatomicis & Observatoribus solent. HUNTER narrat (*b*), se hydatides, sumtas ex ove quadam, iam duodecim aut quatuordecim horas occisa, nulla huius rei ratione habita, sese adhuc moventes conspexiſſe, unde hoc deducere ROOSE (*c*) intendit, quod diuturnior earum poſt mortem hominis, quem affecerant, commoratio neceſſarium interitum ipſis haud inferat, & praesumta iamque recitata deficientis in humanorum corporum hydatidibus motus cauſſa magni non ſit ponderis. Quae ſi ad hydatides, in hominibus repertas, applicentur, omnino vera quidem sunt eatenus, quatenus, ſi unius eiusdemque naturae & in hominum, & in animalium corporibus inventae habeantur, & il-

(*a*) GOETZE, BAILLIE l. c., aliique.
(*b*) L. c. pag 52.
(*c*) Ibid. not. (*).

larum vita ad aliquod post hominis, quem inhabitant, obitum tempus pariter protrahi potest. At conclusioni huic, illas nimirum, quae in corpore destructo haud vivae deprehenduntur, antea quoque non vixisse, locus merito hic est denegandus. Vero prorsus simile est, taeniarum hydatigenarum in cadavere commorationem in has effectum exserere noxalem, plena earum ab illo separatione facta. Ad quam rem probandam vermes intestinales nobis etiam exhibent exemplum haud poenitendum. Fortasse vel maturior, vel serior earum interitus a genere illius morbi pendet, qui corpus adfectum consumit. Ad verisimilitudinem etiam hoc accedit, quod eo in casu vitam longissime producunt, in quo animalis, ab illis inhabitati, ipsae vel oppressione mechanica (e. g. in observatione Hunteriana supra recitata), vel nimia systematis nervosi irritatione caussam morti praebent. Quod reliquum est, hydatides quaecunque, ut iam monui, pro taeniis hydatigenis nequaquam habendae sunt.

SECTIO II.

Observatio Hydatidum in cadavere inventarum.

Nunc ad observationis ipsius relationem me converto. *Ioan. Fried. Schwartz*, veredarius, triginta octo annos natus maci-

lenti corporis, fibrae nonnihil rigidae, pallidae, aliquo abhinc tempore nigro-flavae faciei, temperamenti sanguineo-melancholici, ex trium annorum intervallo de obtuso & in regione hypochondriaca dextra fixo dolore, vicissitudinem ineunte, interdum conquestus est. Pro ratione illius aut accedentis, aut absentis, aut hilaris & laetus, aut in se conversus, taciturnus & ad nimiam sensibilitatem propensus fuit. Ad quem dolorem abigendum ne ullo quidem usus est medicamine. Valde moderatam ducens vitam, coelebs, neque sexui sequiori unquam deditus, neque vini adusti nimium bibere solitus, aliisve sanitati noxis adsuetus fuit. Febris putrida, qua ante decem circiter annos laboravit, unica fuit species morbi, qui eum unquam corripuit, ex qua, quin ulla adhiberet medicamenta, convaluit. Quem dolorem, cuius feci mentionem, ubi excipias, eo ex tempore sanitate semper integra frui visus fuit.

A decimo quinto Aprilis die anni currentis usque ad decimum septimum de eodem dolore questus, ciborum potuumque appetitus, ad hoc usque tempus semper vigentis, iacturam fecit. Celatis animi sensibus, haec iis solummodo, qui arctam cum eo inibant consuetudinem, patefecit, quibus vero operas locavit suas, ipsum sine omni mora medico-

rum cuipiam commendaturis celavit. Die eiusdem mensis decimo octavo hoc, de quo dixi, accidens desiit, appetitus rediit, & adspectus, habitus gestusque corporis fuerunt rursus iidem, qui antea. Dicto iam die, quem aër subfrigidus ventisque agitatus vexabat, eidem paucorum milliarium iter cum iis, quorum potestati sese subiecit, conficiendum erat. Sub vesperum, hora circiter nona, iam primum domum venit, & equos currui iunctos vinculis catenisque solvens, quam acerbum tolerarit frigus, narravit. Circa undecimam noctis horam defunctus, duodecim fere passus a stabulo equino distans, in situ, ex quo colligere licuit, obitum eiusdem sine convulsionibus fuisse, repertus fuit. Ex eo, equorum solummodo alterum ligamentis coriaceis fuisse exutum, alterum vero iisdem adhuc indutum, in equili eum circumiisse, non ita multo post in domum heri reditum huic malo eundem fuisse subiectum colligitur.

Omnia miserum in vitam revocandi remedia, similibus in casibus prospera, & hic applicata, fuere inania. Sub sequentis diei tempore, meridiem praecedente, omnia putredinis signa iam sese obtulerunt, quam ob rem cadaveris sectionem eodem adhuc die instituendam esse, ne ullus quidem fuit, qui dubitaret.

Sequentia in cadavere reperta sunt:

Extere nihil, nisi locum rubicundum, in spinam dorsi sese flectentem, observare licuit.

Capite aperto, sinus longitudinalis sanguinis propemodum plane vacuus erat, reliqui autem sinus, vasa durae & piae matris, ut & plexus choroideus, parum solummodo sanguinis in se continebant. Ventriculis cerebri nullus omnino humor inerat.

In cavo thoracis nihil praeternaturale sese ostendit, nisi quod pulmo dexter pleurae & diaphragmati adhaerescebat. Pulmones pleurae saccos fere in totum replebant. Eorum parenchyma plane videbatur integrum, quemadmodum & externe illud dissecando apparuit. In cordis tam venosa, quam arteriosa parte, ut & in huius vasis maioribus, sanguinis coagulati aliquid reperiebatur.

Cavum abdominis notabilis aquae flavae quantitas occupabat. Vasa sanguifera omnia valde impleta erant, praesertim ea, quae omentum, ventriculum, mesenterium & intestina tenuia adeunt, quorum nonnulli loci hic illicque leviter inflammati videbantur, aëre copioso inflata, item faecibus repleta crassa. Renibus & vesicae urinariae nullum inerat in oculos incurrens vitium.

Hepar, praecipue dexter lobus, ad insignem se extendit magnitudinem. Cuius colorem

si spectes, speciem naturae repugnantem prae se non tulit. Antea iam observatum fuit, lobum dexterum rotunditatis ad instar cum peritonaeo implicitum, & tactu fuisse durissimum. Ex incisione, in loco duro & tumido facta, aquae flavae permultum effluxit, & simul centenae & amplius hydatides variae magnitudinis in conspectum venerunt. Reliquis, in cave praeternaturali adhuc contentis, aquae flavae libere innatantibus, hydatidibus evacuatis, dexterum hepatis lobum his vesiculis propemodum plane occupatum conspicere licuit, ita quidem, ut in parte anteriore tantum ad marginem acutum veri parenchymatis binos ferme digitos latum quid adhuc integrum esset. Parenchymatis, quod supereit, cavi parietibus hic serviens, colore sibi fuit simile, tactu autem asperum & inaequale ossium ad instar. Hi duri & callosi parietes quibusdam in locis (e. c. in eo ipso, qui incisionem pertulit) quartam pollicis partem, aliis vero in locis vel dimidiam, vel binas pollicis partes tertias in densitate comprehenderunt, & interna in superficie minus plani & villosi apparuerunt. Hydatidum maioribus illa ovi gallinacei, minoribus vero illa pisi magnitudo ine-

rat. Harum numerus ad bis centum circiter sese extendit. Fluido, in iisdem comprehenso, non prorsus fuerunt diductae atque dilatatae. Maiores ovali, minores autem magis circulari forma erant instructae. Tam vesicae earundem, quam fluidum, valde clara erant & pellucida. Hydatides sectae, & fluidum, in poculum vitreum receptum, innumerabilem punctorum minutissimorum in eo circumnatantium, fuscorum speciem referentium, copiam ostenderunt, qui, humore aëri exposito, dein evaporato, & parietibus, & poculi vitrei fundo adhaeserunt. Quod fluidum neque omninò serosae, neque omnino lymphaticae fuit indolis, & colore destinato carens.

Vesica incisa. incisionis labia extrorsum una sese circumplicarunt, & quidem tam longe, quam in huius longitudine fieri potuit. Efficiendum minime fuit, ut introrsum versus illa eodem modo, & eo ipso quidem in casu sese volverint, cum fieret & frustulo quadratim inciso experimentum. Pauca tantum industria adhibita, a vesicula membrana quaedam, eidem deorsum versus iacenti laxe adhaerescens separari potuit, ut volsella vel lenissime attracta, integra & magna istius frustula in conspectum venirent.

A membrana, deorsum iacente, modo commemorata, non minus perspicue atque distincte, licet paullo maiori cum cura, tres lamellae tenuitatis insolitae, abscesserunt. Vesicae, duabus hisce membranis constitutae superficies interna non solum villosa, sed etiam punctorum fuscorum, de quibus supra sermo fuit, permultis conspersa occurrit. Quae punctula, digito admoto, facillime detergi non poterant.

Microscopicam & chemicam explorationem rerum conditio & ratio non permittebat prius, quam cum praeparatum pathologicum plures iam per hebdomades spiritui frumenti immersum fuerat. Quo tempore praeterlapso, illa, quod membranae constrictae iam & opacae, atque fluidum nonnihil turbidum & spissius redditum fuerat, ita exacte non amplius institui potuit, ut, quae in publicum referretur, fuerit digna.

Ex lobo hepatis sinistro morbosi nihil fuit colligendum. Vesica fellea vacua & constricta sese exhibuit.

Ad quaestionem, quod mortis genus, Medicorum praeceptis investigandum, defunctus perpessus fuerit, ex aliorum relatis convenienter solvendam ea, quae nunc sequuntur, quam

maxime valere mihi videntur. Hydrops ascites non poterat esse tanti, quanti ad mortem inferendam opus erat, neque eorum mortis generum, quibus ille morbus desinere solet, vestigia cadaveri inerant. Corpus enim neque consumtum observabatur, neque ullo symptomate, hydropis ascitis gradum letalem indicante, unquam antea laboraverat. Porro suffocationis & apoplexiae sanguineae notis illud erat destitutum, aqua exhalata nondum corrupta se ostendebat, neque viscera abdominalia hac colluvie erant infecta. Ad levem intestinorum tenuium inflammationem, quod attinet, hydrops quidem pro quadam caussarum remotarum haberi potest, multo vero magis ista systematis venae portarum affectioni, uti & plethorae ad spatium, ex vasorum cutaneorum, quam aër ventis turbatus effecerat, constrictione & motione in itinere habita aliisque forsan caussis remotis ortae, ut ego quidem iudico, adscribenda venit. Inflammatio in universum spectata multo minus in se continuit efficaciae, nisi quod in ista magis, ut caussa concomitans, sanguis inaequali modo dispersus, haberi potest. Nihil igitur aliud, quam hepar morbosum restat, quod omnino mortis secutae generi, dein explicando, satis aptum esse puto. Mortuum apoplexiae fuisse, nemo erit, qui dubitet. Iam vero, uti ex

sectione patuit, sanguinis accumulatio nulla in cerebro, tanquam remota caussa, existebat, & neque gastrica, neque febrilis apoplexia cuidam in mentem venit, ergo nervosae istius speciei tantum locus relinquitur. Arcti nervorum inter hepar & sensorium commune consensus cognitio Medicorum cuique ita patet, ut in hac explicanda paullum morari mihi liceat. Et rationum anatomicarum, & pathologicarum, id demonstrantium, copia in pluribus scriptis, praecipue in illo NIEMEYERI scripto (*a*), continetur. Intimi huius nexus vi omnino evenire potuit, ut fortissimum hydatidum irritamentum talem in sensorio & medulla oblongata spasmi speciem producendi capax esset, qualis nervosis principii influxum abolere, totiusque machinae functiones tollere valeat. Ex allatis vesiculae felleae idem nonnunquam accidisse, satis liquet. Insuper si adhuc concedas, quod hydatides, uti harum notis supra descriptis haud repugnat, veras taenias in se continuerint, & inde corpori, experientia teste, multo maiorem irritationem, quam irritamenta mortua inferre possent,

(*a*) Commentatio de commercio inter animi pathemata, hepar, bilemque, de caussis eiusdem, nec non de usu ex moderamine illius pro practica medicina exspectando. Götting. 1795.

sent, tunc hypothesis ad verum eo magis accedit. Cum irritamenta ista viva iam diu praesto fuisse perhibentur, quin phaenomenon, de quo quam maxime agitur, produxissent, illud & nunc quoque iisdem non posse attribui, nihil, quod recte obiiciatur, sese offert. Specificas enim nervorum reactiones a certa, non semper praesente, eorundem dispositione pendere, notum cuique planeque perspectum esse existimo. Ad haec accedit, quod, plethora abdominali in affectum venae portarum systema impulsum immittente, irritatio ab hydatidibus suscitata sine dubio aucta sit, & tali quidem modo, ut isthaec una forsan cum caussarum occasionalium, praedisponentiumque pluribus ignotis, ad vis nerveae ablationem aliquid contulerit.

OPUSCULUM VI.

BREVIS MORBILLORUM DESCRIPTIO

Vindobonae hyeme anni MDCCXCIX. grassantium.

AUCTORE

ALOYSIO DE CARENO

PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE DOCTORE, R. I. ACADEMIAE SCIENTIARUM, ET ARTIUM MANTUANAE, REG. TAURINENSIS, MEDICO-CHIRURG. VENET., SCIENTIARUM TURICENSIS, SENENSIS ETC. SODALI.

Morbilli, quorum eadem eſt ac variolarum antiquitas, pueris & iuvenibus maxime inſidiantur, & plerumque variolarum praecedente, aut sequente morbo epidemice regnare solent. Atque ob eam cauſſam brevem de hoc morbo tractatiunculam, qua illius decursus, conveniens regiminis ratio, & optima medendi methodus exponitur, haud inutilem laborem eſſe censui; praecipue cum morbilli non raro etſi regulariter decurrant, & benignae omnino indolis ſint, ob plebis práeiudicia &

ineptam medendi methodum, a recto tramite deflectant, & saepissime funesti effectus, & mors ipsa sequantur.

Morbus hic praecipue hoc anno 1799. Vindobonae ac in suburbibus grassabatur. Ultra mille infantes ac iuvenilis aetatis homines morbillis laborabant. Inchoabat ineunte mense Decembri 1798. Contagium citissime propagabatur, ut in Orphanotrophio, Collegio Thereſiano, & in omnibus fere familiis apparuit. Acre hyemis gelu, quod homines longo tempore in anguſtioribus cubiculis commorari coegerat, certe non parum ad celeriorem miasmatis huius propagationem contulerat. Initio Februarii insigne morbi huius decrementum, & non obstante magno aegrorum numero, rarae observabantur mortes, ut necrologiae testantur. In propria praxi ultra viginti infantes, qui meae curae tradebantur, convaluere omnes, nec in unico aegro, vel levissimum a morbo incommodum superstes observare licuit. Breviter nunc progressum huius morbi describam.

Tria in benigno morbillorum genere *stadia*, sive *tempora* observari solent; quodlibet horum tribus fere diebus circumscribitur. Quo diutius stadium quoddam, priora saltem, protrahuntur, peior inde morbillorum indoles metuenda est. Stadia haec sunt.

I. Stadium contagii. II. Stadium eruptionis. III. Stadium desquamationis.

Stadium primum.

Aegri mox horrent & rigent, atque inter crebras, cum caloris, tum frigoris vices totam primam diem transigunt. Secunda die iam manifesta febris sese expandit; calor assiduus cum magna siti; lingua alba, sed humida, appetitu deiecto, tussi sicca, capitis atque oculorum gravitate, & assidua in somnum propensione. Lumbi & dorsum dolent; respiratio celer, frequens, nec non suspiriosa; scrobiculus cordis & totum epigastrium molesto ponderis sensu afficitur; oculi rubent; & illacrymant; punctionibusque subinde pertunduntur, lucemque aversantur, ut vix aperiri queant. E naribus quoque tenuis acerque humor exstillat, sternutatio frequens, symptomata in genere catarrhalia in morbillis benignis; in malignis vero omnia haec symptomata multo graviora sunt, praecipue tamen laesae vis vitalis signa adsunt, dedolatio ingens, inquietudo, animi deliquia, vigiliae, aut sopor &c. pulsus celer, parvus potius & irregularis.

Stadium secundum.

Inter has turbas morbillorum eruptio contigit, quae saepe vehementi symptomatum apparatu, anxietate, convulſionibus, pulsu depreſſo, urina parca, & non raro largo sanguinis e naribus profluvio ſtipatur; quorum ultimum adeo infauſtum non eſt, ut potius sanguinis ad caput congeſtio, quae certe maxime in hoc ſtadio timenda minuatur. Quodſi itaque ante exanthematis eruptionem, ex symptomatum catarrhalium praesentia, uti sunt oculi rubri, dolor faucium, & caetera, ex peculiari sudoris in varioloso morbi odore, & doloris, sub axillis sensu, ex epidemia regnante morbum praesentem dignoscere non liceat; iam ex ipso morbillorum erumpentium conspectu certior diagnoſis habetur. Tunc temporis enim circa frontem, & reliquam faciem punctulae albae, subrubrae, lenticularum inſtar, pullicum morſibus ſimiles prodire incipiunt, paullatim numero & magnitudine augentur, in facie magis diſtincte proſtant, subinde vero, ut in reliquis corporis partibus, in quas sensum sese diffundunt confluere solent, & sat largum, rubentem tumorem ſiſtunt, cutis superficiem excedentem, cuius prominentia tactu percipitur.

Morbillorum eruptione facta, pleraque symptomata graviora, praeter catarrhalia, mitigantur. Persistunt etiam oculorum rubor, lacrymatio, & lucis impatientia. Quandoque eruptione peracta omnium functionum integritas redit, somnolentiam, morositatem, tussim, & symptomata catarrhalia si excipias. Aliter res in malignis morbillis accidit. Papulae enim has inter turbas mox prorumpunt, mox iterum evanescunt, lividique coloris esse solent.

Stadium tertium.

Interea papularum color mutatur, & maculae pallescunt; transpiratio nunc augetur, aut sudor universalis subsequitur: maior nunc pulsus mollities, & pectoris symptomata minuuntur. Die circiter sexta facies ipsa & palpebrae detumescunt; sputa antea spumosa, nunc cocta, respiratio liberior, partes tumidae humidiores evadunt. Superficies cutis per plures dies squamulis, aut quasi farina conspersa videtur, nullo alio vestigio, quam intensiori cutis rubore superstite.

Morbillorum ab aliis exanthematibus cutaneis discrimen.

Atque haec est consueta morbillorum hystoria, ex qua eorum diagnosis facile profluit.

Inter initia tamen, antequam morbilli erumpant, eos pernoscere, & praedicere res eſt aliquando difficilior, & obscurior: in ſtadio enim contagii morbilli ne, an aliud exanthematum genus impendeat, non satis perspicuum eſt, praesertim ſi aeger variolis nondum defunctus fuerit, aut ſi morbilli seorſim tantum prorumpant. At ſi maiori iam copia appareant, aeger iam reliquis exanthematicis morbis laboraverit, oculorum dolores, ſternutatio, & alia symptomata catarrhalia adsunt, non longius de morbi huius praesentia dubitare licet. Apparentibus vero etiam maculis non omnis dubitatio ablata eſt. Prima enim morbillorum apparitio, magnam habet cum variolis cognationem; ſi qua tamen differentia eſt, hanc eſſe exiſtimo, quod puſtulae morbillosae in racemos collectae numeroſiores omnino reperiantur, & in pectore atque artubus rubore potius quam elatione diſtinguantur, quum prodeuntes variolae ubique protuberent. Id etiam peculiare morbillis eſt, ut calor febrisque citius & velocius invalescant, & symptomata ut plurimum urgeant, quam in variolis, saltem benignis.

Praeterea natura ipsa discrimen inter variolas & morbillos posuit: discrepant enim inter se

1. Quod virus morbillosum non ita cauſticum, ita exulcerans ſit ut variolosum.

2. Quod oculos & pulmones magis afficiat.

3. Quod pustulas multo minores pariat.

4. Quod hae nunquam pus gignant, sed siccentur, & desquamentur tantum, nec ulcus ullum, aut cicatricem relinquant.

5. Quod plus epidermidem quam cutem laedant.

6. Quod affectionibus catarrhalibus contra quam variolae stipentur.

Maiori vero affinitate cum morbillis certare videtur *scarlatina*; Ab ea tamen diffident.

1. Quod ipsi supra cutim se efferant.

2. Quod affectiones catarrhales ipsorum fere perpetui comites sint.

3. Quod spatia morbillis interiacent alba, oblonga, multangula, dum contra in scarlatina, plana, aequalis & continuata rubedo cutim ferme totam, aut maculis saltem latioribus, & erysipelatis similibus eam inficit.

4. Quod epidermis farinae instar secedit, in scarlatina vero frustulatim abscedit.

5. Quod tumor leucophlegmaticus, qui in scarlatina die 21. aut 22. tantum supervenit in morbillis aut non cernitur, aut si unquam accedit, statim in fine tertii stadii se exhibet.

A *peticulis* porro, & ab *exanthematibus miliaribus* internasci possunt morbilli a *primis*, *peticulis* nempe, differunt colore, ele-

vatione epidermidis, & macularum amplitudine, figura multiplici & varia: ab *alteris* discriminantur, quod ullum tumorem conspicuum in papulis ostendunt, dum miliaria semper sensibilem humorem continent.

Prognosis.

Morbilli benigni & regulares in pueris & adolescentibus plerumque periculo carent; in adultis vero aliquando gravius malum est & quandoque periculosum. Qui ex aegris, antequam morbillis corriperentur, diu male se habuerunt, aut potubus spirituosis abutebantur, hi acutius aegrotare & magis periclitari solent. Morbilli opportuno & regulari tempore exorti, prominentes, & colore purpureo praediti, bene ominantur. Facta eruptione si aeger relevatur, & viribus valet, alacriorque evadit; si cutis aequaliter calet, & nonnihil tensa renittitur aut sicca est; bonum.

Summatim prognosis in morbilloso morbo instituenda & a febris natura pendet, quae hunc morbum comitari solet, & a recta aut perversa medendi methodo huic febri opposita.

Periculum praecipue talibus aegris imminet, si aegri in morbos inflammatorios faucium, ad tussim & pulmonum phthisim prae-

dispositi sunt, aut si laesi cerebri, & symptomatis nervosi signa adsunt, atque tunc Medici consilio opus est.

Cura morbillorum.

Morbilli benigni plerumque sola naturae ope ad faustum finem perducuntur, & interdum ita faciles sunt, ut aegrotantes vix lecto obligentur. In universum igitur, si febris non vehementior sit, si non ingens pectoris angustia, si aeger alioquin sanus, neque ulla anteriore pulmonum labe affectus cernatur, res tota naturae committatur; imperato tantum diaetetico regimine, quod temperatum sit oportet, nec calidum nimis, nec frigidum: nocet enim utrumque extremum.

Victus ratio non alia esse debet quam tenuissima, qualem nempe cibi cuiusque fastidium, atque aversatio suadet, quae tanta plerumque est, ut aegri per aliquot dies ab omni alimento abstinere cogantur.

Ad summum potio danda aqua ex hordeo, aut oryza, aut ex pane decocta, quae diluit, demulcet, temperat, & tenuiter alit. Eo spectat serum lactis, cremore hordei, emulsa ex amygdalis dulcibus, & fructus acididulces, ut pruna, cerasa, pyra &c.

Primis diebus subinde lectum deserere

possunt, ne nimis incalescant, sed caveant ab aëre frigido, & bis vel ter in die dilutum, aliquod florum sambuci, aut papaveris erratici tepide hauriunt.

Quamprimum vero eruptio in facie incipit apparere, lecto se committant, & in assiduo, blandoque tempore conquiescant. Quum enim morbillosa materies mobilior, & fugacior sit quam variolosa, maiore cautione opus in morbillis est quam in variolis, ne introvertatur; hinc amovendae sunt omnes caussae, quibus quies tam animi, quam corporis perturbari potest. Occlusis fenestris solis radii arceantur, ne oculi nimia luce percellantur. Incepta & perfecta eruptione pergant tres vel quatuor dies in lecto se continere, quo facilius per cutis spiracula exhaletur morbidus fomes; sed nec cubiculum calefiat, nec stragula augeantur, ultra quam sani utebantur.

Decedentibus porro pustulis, & desquamatione incipiente, abeuntibusque reliquis symptomatibus, paullatim ad consuetum victum & regimen gradus fiat. Absoluta desquamatione iterum aegris interdiu licebit e lecto surgere, dummodo tamen ab aëre frigido religiose caveant. Nam si transpiratio cutanea supprimatur, aut asthma periculosum, aut pertinacissima tussis, aut diarrhaea vires deiiciens, aut leucophlegmatia facile consequitur.

Toto morbi processu, si alvus non respondet, solis enematibus eam subinde mollire liceat, & assiduo potus tepidi hauriendi sunt.

Atque hanc medendi methodum adeo salutiferam in hoc morbillorum epidemia observavimus, ut in his etiam aegris, in quibus asthenica morbillorum indoles stimulos magis diffusibiles expetere videbatur, hac sola curatione morbus devictus fuerit; etsi forsan accuratior disquisitio, an hoc morbillorum genus, asthenicae, vel sthenicae indolis fuerint huc aliquo modo pertinere videatur, ea tamen solummodo proferre volui, quae aut iuvare, aut nocere in hac epidemica constitutione natura docuit, quaeque medendi methodum propius spectant.

Morbi posthumi morbillorum.

Morbilli benignissimae licet indolis, & regularis decursus non raro tamen longos pravosque effectus producunt; tunc praecipue si in tertio stadio desquamatio aut neglecta, aut subito suppressa fuerit; atque id omnino frequentissime in reconvalescentibus contingit, qui feliciter a benignis morbillis evaserunt, & nimium sibi fidentes nimis cito libero aëri se exponunt.

Inter haec posthuma morbillorum mala varia pectoris symptomata primum locum oc-

cupant. Continui pectoris dolores, asthma, & oppressio; tussis sicca, anhelosa, excreatio tenacis, crudae, & acris materiae, imo sputum cruentum, & tandem sputa purulenta. Accedit febris hectica, & corporis emaciatio: tussis quoque convulsiva, quae lacti, aut ovorum albumini similis materies eiicitur; dolor spasmodicus in larynge cum magno calore, & respiratione sibilosa; symptomata quae viarum aërearum inflammationem & instantem suffocationem designant; porro diarrhaea colliquativa, qua omnia ingesta immutata exeunt, & phthisis tandem oritur. Artuum tumores leucophlegmatici pertinaces, quibus sensim febris lenta accedit. Ulcera pedum & brachiorum in gangraenam transeuntia. Haec sunt praecipua mala, quae morbillos subsequi solent, & quae recto transpirationis, in tertio stadio, moderamine, praecavére licet.

OPUSCULUM VII.

BREVIS VARIOLARUM VACCINARUM HISTORIA

QUAM

Vindobonae conscripsit anno MDCCXCIX.

ALOYSIUS DE CARENO

PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE DOCTOR ETC.

ANte aliquot menses in *Ephemeridibus Anglicis* Viennam delatis novae variolas inoculandi methodi mentio facta est, quae mox omnium Medicorum attentionem excitabat adeo, ut ulteriorem Medicorum Anglorum de hac nova methodo relationem avidissime expectarent. Contigit ad finem anni 1798., quo tempore clariss. JENNER librum typis edidit (*a*).

(*a*) An inquiry into the causes and effects of the variolae vaccinae, a disease in some of the western Counties of England, particulary Gloucestershire, and Known by the name of the *Cow-Pax*, by *Edward* JENNER M. D. F. R. S. London 1798. 4to pag. 75.

Sermo hic de morbo, quo iam a longo tempore vaccae corripiuntur, praecipue in Comitatu Glaucesterienſi. Solet his morbus sub specie puſtularum apparere, quae spatio quatuor circiter dierum elevantur, sequentibus diebus suppurant, atque versus duodecimum diem exſiccantur modo prorsus ſimili, quem in hominibus varioloso morbo naturali aut inſito affectis, conspicimus. Observatio docuit hominibus, lacti mulgendo operam navantibus ſimiles puſtulas ad manus & brachia oriri, eosque, qui huc usque variolas nondum paſſi fuerunt, immunes poſtea a morbo varioloso extitiſſe. Cum veritas huius rei multis, & repetitis observationibus confirmata fuerit, plures Medici de inſtituendis in hominibus eadem experimenta excogitaverunt, inter quos praecipue D. JENNER primo loco nominandus eſt, qui ob sequentes praesertim rationes harum variolarum inſitionem, variolarum humanarum inoculationi plurimum praeferendum eſſe censet:

1. Quia haec variolarum inſitio facilitate sua sese maxime commendat;

2. Inſitione in manu aut brachio peracta, in solo tantum inſitionis loco puſtulae oriuntur, nullis in reliquo corpore variolis prodeuntibus, & infantes impoſterum ab omni alia variolosa affectione liberi manent;

3. Miasma hoc variolosum in alios non propagatur, ita ut infantes sani cum infectis consortium habere possint, quin variolis corripiantur, quod praecipue regnante variolosa constitutione maximi momenti est;

4. Mitior est universim morbi decursus, ac in solita variolarum insitione, ut itaque haec inoculandi methodus omni tempore locum habeat.

Praeter D. JENNER, alii quoque Medici Angli novae huius inserendi variolas methodi experimenta instituerunt, inter quos VOUDVILLE, PELSON, aliique eminent. Quinam fuerint horum experimentorum eventus suo tempore exponam.

Medici quoque aliqui Vindobonenses, quibus medicinae practicae incrementum curae cordique est, Anglorum experimenta repetendi occasionem exoptarunt, atque in eum finem fila varioloso hoc pure imbuta ex Anglia per litteras sibi adferre curarunt, atque elapso mense Aprili a duobus clarissimis Viris in propriis infantibus nova haec insitionis methodus tentata est.

D. F. in duabus filiolis insitionem instituit, quarum prima 14., altera 29. mensium aetatem attigerat, atque haec ultima ante annum pustulis, variolis admodum similibus correpta fuerat.

Ambae

Ambae 28. Aprilis sanae & alacres leni purgante ad infitionem praeparabantur. 30.^ma eiusdem mensis in utriusque brachii superioris epidermide facta fuit scissura longitudinalis unius pollicis, in quam filum tenue eiusdem longitudinis introductum fuit, emplastro glutinante superimposito. Biduo post, ablato apparatu, nil morbosi neque in brachio, neque in reliquo corpore conspiciebatur.

Die quarta nata minor ad vesperas morosa evadit; die 5.^ta elevatur in minimas pustulas genarum epidermis (prominentibus nempe dentibus caninis), non absque rubore, & maiori calore: ablato in brachiis apparatu labia vulnusculi paulisper rubentia & duriuscula, maior corporis calor & agitatio, atque haec rerum conditio ad 10.^am usque diem perfistit cum levissima febricula, apparatu interim haud remoto.

Die 10.^a Maii, aliis duobus Medicis praesentibus, vulnuscula examini subiecta sequentia exhibuerunt. In uno brachio, ruborem si excipias, nihil prorsus conspiciebatur, in altero tumor oblongus, durus, in medio pure repletus apparuit; febris maior cum vespertina exacerbatione & tussicula ad 14.^tam usque diem protracta. Aegroris nil praeter infusum florum Verbasci praescribitur,

Die 13.^a versus vesperas valida febris

exacerbatio tota nocte durans; hinc mixtura data ex lapidibus cancrorum, saccharo, syrupo siliquarum dulcium, & aqua communi.

Die 14.ª febris & tussiculae remissio; vulnusculum inflammatur: lene purgans ex manna, oxymelle simplici, & syrupo siliquarum dulcium cochleatim omni bihorio. Symptomata inde omnia sensim imminuuntur, & die 17.ma nata minor ad perfectam sanitatem redierat, nam quae huc usque dicta sunt de illa tantum valent. In filiola enim natu maiori, praeter febriculam duorum aut trium dierum, nil praeternaturale observatum fuit.

Caeterum ambae libero aëre, cibis tenuioribus, vegetabilibus, & solita quasi diaeta cum pauco lacte, utebantur.

Die 10.ª Maii, D. de C. proprium infantem duorum circiter annorum cum dimidio, pure ex filiola D. F. desumpto inoculavit. Iam a secundo insitionis die usque ad 12.am Maii quotidie aegrotulum observavi. Idem fere erat decursus, ac in variolis naturalibus: die nempe 4.ta pustula in brachio calere & rubere coepit: die 5.ta magis elevata: die 6.ta mole increverat, & purulenta materia repleta apparuit; demum versus 12.am exsiccabatur.

Die 20.ª Maii modo citatus Medicus . . . . cum faustum eventum huius insitionis vidisset,

ut aeger vix febre teneri videretur, neque illi in lecto decumbendum esset, & omnes functiones corporis optime procederent, ex pustulis exsiccari incipientibus pus desumsit, cuius historiam alio tempore communicabo.

Paucas nunc quaestiones in hanc novam insitionis methodum adiicere liceat; quae forte Medicorum, qui hanc methodum experimentis subiicere velint, attentionem mereantur.

1.° An forte hac via novus vaccarum morbus ex Anglia in alias regiones traducatur, quo sane magnus iam morborum numerus augeretur? Attamen morbus non aliter, quam immediato contactu propagatur.

2.° An operae pretium sit, ut hac methodo variolas inseramus, cum solita huc usque methodus tam fausto cum eventu procedere soleat, ut vix aegrotare videantur infantes?

3.° An etiam in nostris regionibus haec methodus infantes a veneno varioloso imposterum immunes reddat?

4.° An non magna praerogativa huius methodi haberetur, si quae supra dicto sunt, experimentis comprobata essent, praecipue si id verum est, quod pustulae in parte tantum illa, in qua insitio peracta est, compareant, reliquae autem corporis partes intactae persistant.

Quidquid sit experimenta nondum satis & repetitis observationibus comprobata esse videntur, atque ideo has observatiunculas communicare haud ingratum fore Medicis crediderim. Quamprimum ipsa Anglorum scripta de hac materia perlegere licebit, quod brevi fieri confido, nova experimenta, quae nostris temporibus iuxta hanc novam methodum instituentur, eruditis Medicis communicabo.

OPUSCULUM VIII.

DE FEBRE CARCERUM DISSERTATIO

Marburgi habita anno MDCCXC.

AUCTORE

HENR. GUILIELM. FRIDER. SOELLING

MEDICO ESSENDRIA-GUETSPHALO.

CAPUT I.

Nomina morbi referens.

Varia ille, quem describendum suscepimus, morbus a diversis Auctoribus sortitus est nomina. Nunc enim audit febris carcerum nosocomiorum, seu nosodochiorum, nunc classium sive nauticorum, nonnunquam morbus castrensis, petechialis, immo pestilentialis, nun-

cupatur. Alii iterum febrem lentam nervosam, aut contagiosam & malignam vocavere: alii denique & potissimum veteres in Arte Scriptores morbi putridi insignivere titulo. Anglis passim dicitur. *The Jail, Hospital, Ship, Goal, Camp, Leaguer, Low nervous, Contagious, Malign, Epidemic, Putrid, Petechial, Spotted, Slow, Little, Pestilential Fever or Febricula; The Sickness of the house: Synochus*: CULLENIO *typhus*, Germanis vocatur: *Das Gefängniss, Hospital, Schiffs, Lager, Lazareth, Kercker, bösartiges, ansteckendes, faules, Fleck-Nerven Fieber &c.*

Universae hae denominationes, utut sint nostro tributae morbo, unius profecto sunt aestimandae assis, nec ulla earum videtur admittenda. Utpote cum neque natalem febris locum, qui ubique terrarum existere, ac nullum non universi angulum tenere potest, usque denotent, neque eius periculum declarent, neque morbi genium aut medendi rationem nobis coram oculis sistant; sed pravas e contra de affectus indole concipiendi notiones tritam nobis sternunt viam.

Morbum enim nosocomicam, classicam, castrensem aut carcerum febrim vocantibus facillime oboritur suspicio, illum solummodo navibus, carceribus aut nosodochiis esse familiarem, alia omnino intacta relinquere loca;

cum tamen noster affectus nullibi endemius, omnem inter populum funestam stragem edere possit. Levi denique negotio in errorem deducitur Tiro, rerumque haud gnarus, ut omnem febrem hisce in locis obviam, cumprimis si fuerit epidemica, pro hacce febris specie agnoscat, cum tamen meridiana luce clarius sit, quodcunque febrium genus ista tenere ac devastare posse loca.

Pari ambulant passu reliqua febris incongrua cognomina, variis ab Auctoribus inepte ipsi dicata. Petechiae enim inconstans admodum morbi symptoma nunc adesse, nunc possunt abesse. Peticulae etiam innumeris praeterea aliis sociae morbis, & in nostro non nisi in ultimo (*a*) febris stadio in conspectum veniunt. Petechialis itaque, seu petechizantis aequivoca denominatio, cum non solum non semper concomitantur morbum hae maculae, sed & de ipsius natura aut curatione nos non reddant certiores, in huncce affectum prorsus non quadrat.

Nec minori iure a malignae febris cognomine abstinendum est. Malignitatis enim nimis hybrida vox ambiguaque e Nosologia sa-

N 4

(*a*) G. BLANE *Beobachtungen über die Krankheiten der Seeleute*, *T. III. p.* 271.

tius proscribenda (*a*) vel vocabuli notio, ut evitetur confusio, exactius videtur determinanda. Noster praeterea affectus ea, ut perhibent, malignitate non semper incedit stipatus (*b*); nam contagii vis (*c*) ac miasmatis energia ferociora nunc, nunc mitiora inferendo symptomata, aliam atque aliam faciem morbo induit. — A pestilentiali autem morbo mirum, quantum differt! Huius enim miasma ex nova contagione usque proficiscens (*d*), nunquam nostri in modum sponte in actum erumpit, nec unquam in India orientali (*e*)

(*a*) PRINGLE *Krankh. einer Armee*, *von* BRANDE, Cap. VII. 379. BURSERIUS instit. med. pract. Lips. 1787. T. I. §. 52. 53. S. G. VOGEL *Hand. d. pract. Arz. Wiss.* Ed. 2. T. I. §. 76. TODE *med. chir. Bibl. B.* 9. p. 457. BANG cf. Act. Havn. V. II. 162. WEIKARD *Werm. Schr. St.* 4. BUTTNER diss. de febr. nerv. acut. Gott. 1785. §. 3.

(*b*) LIND on the Health of seamen &c. Lond. 1778. 308. GRANT *neve Beobacht. über ansteck. Krank.* &c. Lips. 1778. 40.

(*c*) Me quidem non fugit, contagii ac miasmatis vocem ab invicem probe discerni. Vocant enim alii contagium animatae, miasma, inanimatae substantiae prolem. Modum alii, quo miasma in corpus transfunditur, contagii voce exprimere solent. Utriusque rursus vocabuli vim, ut rem minus gravem, plane negligunt multi.

(*d*) CAMPBELL observ. on the Typhus, or low contagious Fever &c. Lancast. 1785. 36. GRANT l. c. 13. SYDENHAM opp. Cap. 2. Art. 7. MURRAY *med. pract. Bibl. B.* 1. 183.

(*e*) FURSTENAU & PAXMAN obs. de Indor.

& occidentali pestilentiae sese diffudit contagium, ubi magnam saepius stragem noster edidit affectus. Reliqua, quibus ab invicem uterque discrepat, criteria, sicco nunc pede transibo, cum satis appareat, pestilentiale morbo omnino non convenire cognomen. — A pluribus porro nervosi iniquum obtinuit nomen. Nervosam vero febrem proprie vocant clari in Arte Viri, a corpore cuicunque caussae debilitanti diu patente, nactam (*a*). Corpus hinc aggreditur debile, tono relaxato, magnaque nervorum mobilitate seu morbosa laborans irritabilitate; sororio plerumque vinculo invicem nexis (*b*); cunctaque demum symptomata, manifestis non respondentia caussis, idiopathicam testantur systematis nervosi

---

morb. & medic. recus in HALLER. disp. pr. arg. T. VI. 754. OWEN diss. de contagione, Edinb. 1783. rec. in Thes. diss. Edin. T. IV. 365.

(*a*) Cf. MANNINGHAM on the febricula or little fever Lond. 1764. 49. HUXHAM opp. cur. REICHEL T. I. *166.* T. II. 82. HOME *clin. Vers.* Lips. 1781. 14. PRINGLE l. c. 403. STOLL Rat. med. T. III. 360. Ei. Ahpor. 130. BURSERIUS l. c. 350. S. G. VOGEL l. c. *B.* 2. §. 5. SELLE med. cl. Ed. V. 28. SIM. HERTZ obs. de febr. nerv. Berol. 1789. 28. CARELSON diss. de febr. lent. nerv. Gott. 1782. §. *9.*

(*b*) MARCARD *Beschr. v. Pyrmont*, *Leipz.* 1785. *B.* 2. 19. ZIMMERMANN *von d. Erfahr.* passim. BEYR diss. de laxa corp. compage &c. Ien. 1789. 16.

affectionem (a). Febris autem, de qua nobis est sermo, ulli vix parci aetati, nec vitae anteactae habita ratione, robustam perinde ac enervatam aggreditur constitutionem. Quibus ita se habentibus nervosae illam salutare nomine, foret nefas. — Contagiosae dein frequens in Auctoribus occurrit denominatio. Morborum vero contagio se diffundentium adeo late patet imperium, ut hoc cognomine parum distincte a ceteris eam discernere queas. Omnibus porro huiusmodi morbis cum loca, quorum amore noster tenetur effectus, sint obvia, vocem hanc aegre admitti posse, facile concedet quilibet rerum aequus arbiter. Putridae tandem nomine, multis ut placuit nostram salutare febrem, religio esset, multa cum sint, quae utrique intercedunt criteria, paullo post fusius exponenda. — Nec desunt, qui cum continua remittente, miasmatis paludum plerumque sobole (a), morbum confundere voluerint, ambo licet caussarum, conta-

(a) SELLE Pyrethol. meth. Ed. 3. 290. WHYTT on nervous disorders, Lond. 1768. 528. HERTZ l. c. 156. BUTTNER l. c. §. 14-18.

(a) GARDINER obs. on the animal oeconomy &c. Edinb. 1784. 182. 352. LIND Treatise on the putrid and remitting. fever Lond. 1772. 25. LANCISIUS de nox. palud. effl. L. 2. C. 3. BLANE l. c. 296. al.

gii ac symptomatologiae habita ratione, toto distent coelo.

Ex omnibus itaque, quibus gaudet morbus, denominationibus, nullam esse, quae iure ipsi conveniat, haud difficile est perspectu. Omnia enim cognomina ita sunt comparata, ut alia dubia plane, falsave, pluribus alia utut familiaria morbis, minus apta videantur, tutaque.

CAPUT II.

Literariam morbi enarrans historiam.

Fata nunc & literariam affectus historiam recensendi mihi incumbit negotium, quod vero brevitati studens restrictis absolvam verbis.

De fontibus febriumque differentiis parum solliciti veteres (*a*) quemcunque fere morbum epidemicum maximeque acutum, vocantes pestilentialem (*b*) vel nostri originem pla-

---

(*a*) CELSUS in praef. oper. PRINGLE l. c. 387. D. MONRO *Kriegsarzn. Wiss. Altenb.* 1771. *B.* 1. 76. OWEN l. c. 359.

(*b*) Refert. F. PLATER (obs. L. 2.) contagiosam febrem, genii usque diversam septies urbi Basileae suo incubuisse aevo. Huiusmodi epidemiam quinquies in Dania vidit T. BARTHOLIN. (de medic. Dan.) Uterque febrem pestem vocat!

ne ignorarunt, vel prolixiorem eius historiam negligentes, mancam nimisque suspectam morbi delineationem exhibuerunt. Patet quidem e DIODORO SICULO (*a*), reique medicae veteris aevi Scriptoribus, illos morbi fontem haud ignorasse, sed vitalium animantium effluviis venenatam atmosphaeram, unicam eamque praecipuam accusare mali caussam nescivere. Taceamus itaque eorum in scriptis obvia loca, forsan huc spectantia; haerentes dubii, an morbus, cui describendo operam navarunt, fuerit noster, nec ne? Ampliorem, quem scire iuvat, omnis fere aevi Scriptorum notitiam, qui incerta manu hoc tetigere argumentum; libellum adeat illustr. BALDINGERI (*b*), aliorumque.

Prima, ni fallor, ac indubitata morbi vestigia ab accurato historiographo CAMDENO invenimus relata, cuius verba curavi transcribenda (*c*). *Iisdem*, inquit, *diebus*, *dum iudices ad assisas Oxoniae sederent*, & RULANDUS IENCKINS *procacis linguae bibliopola de probrosis in principem verbis in iudi-*

(*a*) Bibl. histor. Hanov. 1604. L. 12. C. 45.

(*b*) Introd. in notit. script. med. milit. Berol. 1764. MONRO l. c. 225-244. HALLER Coll. disp. pr. T. V. VI.

(*c*) Britann. Lond. 1580. ib. annal. reg. Elizab. ann. 1571.

cium vocaretur; venenoso ac pestilentiali halitu sive ex pedore incarceratorum, sive ex solo ita correptio omnes, qui aderant, ut intra quadraginta plus minus dies fere singuli, praeter mulieres & pueros obierint, nec contagione alia tacti. Inter hos fuere Viri graves, & iurisficentiae clarissimi & iurati, quos vocant, fere omnes & alii plus minus trecenti ". Morbi quoque mentionem iam iam fecere BACON (*a*), STOWE (*b*), BAKER (*c*), gravissimi sui aevi Viri! aliique haud ambiguam. Proprio idiomate morbum circa ann. 1574. custodias infestantem appellat alter; *the sikness of the house*. Exstincto SYDENHAMO, dubio morbi Auctore, magni in Arte Viri HUXHAM (*d*), PRINGLE (*e*), LIND (*f*) BROCKLESBY (*g*), D. MONRO (*h*) eo, quo solebant, studio ingeniique

(*a*) History natural 814. Exp. 914.

(*b*) Survey of the cities of Lond. and Westminst. Lond. 1720. Vol. 2. 18.

(*c*) Chronicle of the kings of Engl. 853.

(*d*) Op. cit. T. I. 124. 234. 254. 268. T. 2. 66. al. loc.

(*e*) Observ. on the nature and cure of Hospital and Iail fevers; Lond. 1751.

(*f*) L. c. Ed. 1. ed. 1557. Ed. 2. 1762. auct. with a diss. on Fevers and Infection and obs. on the Iail distemper.

(*g*) Oeconomical and medic. observ. Lond. 1764.

(*h*) Account of the disaese in the british Hospital in Germany; Lond. 1764.

acumine hancce doctrinam ex professo sunt prosequuti; in eo forsan reprehendendi: ut nostri, putridique affectus aetiologiam ex eodem derivando fonte, caussarum catalogum ingrato exaggerarint labore. Quos excipiunt, qui multum de febre meruere. LETTSOM (*a*), & GRANT (*b*): uterque enim docta, manuque exercitata cum theoreticam tum practicam morbi partem egregie excoluit. Magnus vero CULLENIUS fuit primus, qui, mali fontes breviter perstringendo, & specifico morbi originem petit miasmate. Immortales vero HOWARDI (*c*), Viri de patria optime meriti! neminem fugient, quos vita demum persolvit, labores. Acerba enim civium captivorum sorte commotus, cum patrios, tum peregrinos saepenumero visitavit carceres, mente revolvens, cur saeva contagio, peregrinis fere ignota, cives tam misere urgeat! Quibus perscrutatis cogitata, malique avertendi consilia senatui aperuit. Novissimis

(*a*) Medical memoirs of the general Dispensary Lond. 1774.

(*b*) Essay on the pestilential fever of SYDENHAM, commonly called the Goal, Hospital, Ship and Camp fever, Lond. 1775.

(*c*) The state of the Prisons in England and Wales, with and account of some foreign prisons; Waringt. 1777. 4to.

dein temporibus ingens Auctorum inclaruit cohors, qui coaevi, pro ingenii dotibus, reique dignitate, omnes fere insigni rem pertractarunt studio. In his eminent HEYSHAM (a), G. PAUL (b), S. DAY (c), WALL (d), BLANE (e), RUSH (f) KENNEDY (g), I. HUNTER (h), CAMPBELL (i), ALDERSON (k). Maior adhuc eorum pars in scriptis febris mentionem obiter iniecere; scil. CULLEN, GARDINER, AIKIN, WHITERS, SIMS, ALEXANDER, FORDYCE al. Ex Italis nominandus restat CERA (l),

---

(a) An account of the Iail fever or Typhus carcerum, Lond. 1782.

(b) On the defects of Prisons, Lond. 1783.

(c) Considerat. on the different ways of removing confined and infectious air. Maidst. and Lond. 1784.

(d) Clinical observ. on the use of Opium in low fever and Synochus, Oxf. 1786. Ed. 2.

(e) Account on the ship fever in three parts, Lond. 1785.

(f) Cf. Memoirs of the litterary and philosophical society of Manchester. V. 2.

(g) Account of the contagious fever at Aylesbury, Lond. 1785.

(h) Observ. on the Disease commonly called the Iail or Hospital fever 1785. cf. med. Transact. T. III. 345.

(i) L. c.

(k) An Essay on the nature, and origin, of the contagion of fevers, Hull. 1788.

(l) De febre nosocomica, cum append. de febr. carcerar. Mediol. 1779. & 1789.

cui SARCONIUM (*a*) iungere nonnullis placuit, num vero morbus, quem eximio excuderunt labore, ad noſtrum referri meretur, in medium relinquimus.

CAPUT III.

Qualitates morbi expendens.

Singularia nunc quaedam morbi attributa in medium proferre liceat mihi, quorum alia unice noſtro, alia pluribus specifici miasmatis competunt morbis.

I. *Noſtra febris eſt morbus ſumme contagioſus.* Contagium vero nocivam cum CULLENIO vocamus poteſtatem, e corpore aegrotantis proficiſcentem, quae ſanis adplicata eundem gignit morbum (*b*). Permulta omni ex Scriptore, qui hanc materiem egit, in Theſis argumentum proferre poſſem, ni ipsa *contagioſi* denominatio morbi pro graviſſimo inſerviret documento, maximam ipſi ineſſe vim contagioſam. Duplici quidem via illud miasma in corpus transfundi poſſe, unanimi conſtat Aucto-

(*a*) Iſtoria ragionata de' mali oſſervati in Napoli. 1765. §. 19-25. al. loc.

(*b*) *Anfangsgr. der pract. Arz. Wiſſ. Leipz.* 1789. T. I. §. 78.

rum suffragio, mediato ac immediato contagio. *Mediatum* (contag in diſtans) dicimus, dum fomitis ope, aut aëris vehiculo ad corpus pervenit virus: *immediatum* (per contact.), dum ab uno individuo, nulla re intercedente, in aliud transfertur. Quod ſi etiam satis efficax ſit contagii vis, tanta tamen non eſt, ut e longinquo noxas inferre poſſet. In diſtantia enim quinquaginta aut sexaginta peduum nulla eſt contagii vis, neminem, ni corpus aëris flumini summe corrupti ſit expoſitum, laedens (*a*). Omnium, vero facillime *fomite* hoc propagatur miasma; veſtimentis maxime laneis, toro, pellibus, goſſipio &c. sese inſinuans (*b*).

II. *Omnium fere miasmatum, ſi peſtilentiale excipias, eſt periculoſiſſimum* (*c*). Horret animus terrore attonitus, ac metu perculsa obſtupet mens, tot tantaeque morbi malignitatis contagiique ferocitatis funeſta, expendens exempla! quae infectionis momenta, infectis mortem adtuliſſe teſtantur (*d*). Potiſſimum

(*a*) LIND l. c. Lond. 1778. 319.

(*b*) HUNTER l. c. 352. DAY l. c. vers. germ. 23. 31. ALDERSON l. c. vers. 22.

(*c*) WHITHERS *Bemerkungen*, *Leipz.* 1776. 338. AIKIN *über Hospitäler*, cf. *Abhandl. für pract. Aerzte* B. III. 211.

(*d*) BLANE l. c. 99. DAY p. 22. 57.

illi veneno, quod secum efferunt carceribus inclusi summam inesse, virulentiam, ingratis tot, eheu! evictum est exemplis. Plura morbi adeo exitiosi exempla persequi, in tanta quae restat rerum dicendarum copia non licet; notissima in veritatis sigillum subiuncturus. Ea fuit contagii energia, quum ann. 1577. iudicii die, qui niger vocatur. Oxonii promulgato, de captivis lata sit sententia, quod in foro spargebant captivi, ut iudices & adstantium turbae, quae trecentesimum, & quod excurrit, complerent numerum pestilentiali miasmate veluti fulmine tactae, viginti quatuor horis inopinata omnes opprimerentur morte (a). Classis septingenti militibus exstructa cum paucis abhinc annis Indiam peteret occidentalem, tantam mox edidit stragem pestifer affectus, ut quadraginta vix vivi appellerent homines (b). Qui est! quem infelix acerbumque fugiat Holwelli fatum, qui cum centum & septuaginta sociis a superbo victore, humanitatis experte, in antrum coniiceretur profundum, ab aëris accessu seclusum: e tanto enim numero paucis horis praeterlapsis, vixdum viginti, viribus exhaustis, prodierunt semivivi (c). Nec

(a) BAKER Chronicle 853.
(b) DAY p. 10.
(c) LERREST. histor. events, &c. Lond. 1765. T.

infrequens infausti exitus testis fuit BLANIUS, tertiam infectis supremam illucescere diem saepius videns (*a*). Permulti quarta, quintave luce fato succumbunt morbo hoc correpti (*b*). Tristia eiusmodi subitanea lethalitatis, qui nosse cupit, exempla, BACONIUM adeat, HOWARDUM, DAYUM, PAULUM, PRINGLIUM (cui immortale dum cuderet opus, diri imago morbi, mortisque intra quadraginta octo horas insequutae, ante oculos obversabatur), ac permultos dein alios. Summa quae e dictis elucet morbi malignitas, a miasmatis vi dependens, eo maior fit, necesse est; quo corruptior observatur ambiens aër.

III. *Illud miasma ab una eademque semper proficiscitur caussa*. E multiplici enim rerum fonte in putredinem proclivium minime repetenda est mali origo, cum ex atmosphaera pestiferis scatente animantium exhalationibus natales ducat hocce virus; ea praeditum facultate, adfecto systemate nervoso (*c*),

O 2

II. ZIMMERMAN l. c. 380. HEUERMANN *verm. Bemerk. T. I.* 113.

(*a*) L. c. 59. 99.

(*b*) MONRO l. c. B. II. 19. BROCKLESBY l. c. vers. germ. 138.

(*c*) REIL (resp. Heydrich). Quaedam circ. Patholog. morb. contag. general. Hal. 1790. §. 14. 15. UN-

ut sua reactione in humores ii assimilentur, aut materiei divisibilitate ipsis immisceatur.

IV. *Miasma hoc corpus ingressum febrim plerumque gignit.* Quocunque demum modo intra corpus susceptum miasma, ut febrem excitet, mutatam corporis irritabilitatem adauctam, sive imminutam adesse, oportet (*a*). Nervis affectis illorum actio in organa turbatur, inde eorundem functiones mox augentur, mox diminuuntur, vasorum motus invertitur, peripherico cutis spasmo oborto, iustoque vividiori organorum reactione se & excernenda retinentur, adaugentur excretiones, aliaque functionum vitia, febris generationi inservientia, subsequuntur.

V. *Sensorio communi nervisque ex ipso pullulantibus hoc inimicissimum videtur contagium* (*b*). Suscepto enim veneno, presso insequitur pede, morbumque concomitatur integra affectionum, quae nervosae audiunt, cohors. Celerrimus poro ac lethalis, qui subinde observatur, morbi decursus in singulari

---

ZER *Pathol. der ansteckenden Krank. Leipz.* 1782. 37. seq.

(*a*) ELSNER *Beytr. zur Fieberlehre, Koenigsb.* 1789. St. 1. 17.

(*b*) CAMPBELL on the Typhus 114. 117. FERRIS de sanguinis per corp. viv. circul. putredine rec. in Thes. disp. Edinb. C. IV. 527. GRANT l. c. 24.

nervorum affectione latere videtur, ita ut via ac ratione nobis plane incognita, multorum venenorum in modum (*a*) S. N. immediate afficiendo, feriendoque repentinam inferat mortem hocce miasma. Omni enim tunc culpa vacare humores, non est, quod moneam. *Non tamen omnes infecti in idem incidunt vitae discrimen*. Omnem enim lapidem movet natura humana, & venenis, vim ipsi inferentibus, pro virili resistat. Inest profecto, aurea sonant GAUBII dicta, naturae humanae pervigil virtus, quae vitae ac sanitati sui corporis perpetuo studens, his necessaria procurat, nocitura propellit. — Nonnulli hinc contagioni expositi recte quidem valent, ut tamen levem cephalalgiam, horripilationes, & languorem persentiant. Alii iterum satis bene se habent, sed vitium in vivendi ratione committentes aut tempestatem subeuntes, statim obrepit morbus, qui alias ipsis fuisset parciturus. Multorum caeteroquin miasmatum ea est conditio, scil. hydroph., pest., scab., syphil. ut aliquando diu in corpore lateant, ne unico symptomate sui praesentiam testantia. *Deni-*

(*a*) GARDINER on the animal oeconomy, *63-66.* UNZER *mediz. Handb. Leipz.* *1789.* §. *84. 86. B. II.*

que: in quosdam homines pravos non exserit effectus nostrum miasma. Magna sane est N. H. consuetudinis vis, qua quod praesens inassuetis existit venenum, consuetudinis ope impune ferat. Illibata hinc sanitate corporis custodes & adstantes aegrotantium valetudinis curam in se suscipiant, perraro in morbum incurrentes: quid! *quod alii communicans venenum salvus ipse & incolumis esse potest!* Quot funesta edocuere exempla, ut carceribus dimissi, recta utentes valetudine, omnes, quibuscum ipsis intercederet commercium, pessima infecerint lue, contagiique seminia in dissita propagaverint loca! Ipsis vero, seu consuetudine sensim inducta, non nocuit contagii vis, seu singulari corporis dispositione & idiosyncrasia pro eo aut omni tempore nacta, receptivitate, ut dicunt, ad suscipiendum caruere contagium. Haud dissimilis obtinet ratio, si miasma vener., variol. cet. respicis. Sunt enim, qui numquam huic patent contagioni, immunitatis privilegio veluti donati.

VI. *Specifico suique generis odore illud gaudet miasma* (*a*). Evenit aliquando, ut carcerum limina salutantes aut in infectum inci-

(*a*) Ill. MICHAELIS cui frequens fuit, occasio in America versanti, hoc detentos morbo visitandi, odorem vocat mucidum (mulstrig.).

dentes morbique fomitem, fingulari odore percepto, in ftomachum, ut aiunt, delapso, quem varii varie describere solent, infectionem secum persentiant (*a*). Alii illum vapori e tumulis recenter effoffis in altum ascendenti haud diffimilem putant: alii ftramentis in putredinem abituris odorem iuxta aeftimant: alii tandem cum eo comparant, quem confluentibus laborantes variolis spargere solent. Veftimenta tantopere iterata carcerum vifitatione foetore fuiffe imbuta, enarrat HOWARDUS, ut odoris impatiens non curru sed equo vehi saepe saepius fit coactus (*b*). Et alia ceterum miasmata odoris non sunt expertia; quem enim ille erupturas praecedens variolas fugiat odor?

VII. *Miasmatis naturam aliorum inftar plane ignoramus*. Nemini mortalium ea contigit felicitas, sereno contendere vultu, se miasmatis variol., morbill., peft., hydroph., al. indolem perveftigaffe, agendi modum cognoffe, directisque obviam iviffe remediis, quorum subtilem naturam a pofteriori, ut dicunt, seu ab effectibus tantum habemus cognitam. Nonne autem pericula aquae calcis virtutem in

(*a*) LIND l. c. 244. CAMPBELL 32. GARDNER 215. MONRO 4. 22. ALDERSON 98.
(*b*) State of the Prisons, Sect. 1. 13.

amoliendo noftro contagio teftantia, de acida eius indole opinioni faveant?

VIII. *Contagium hocce semel tantum in eundem irruit hominem.* Nunquam affectum viderunt recidivantem DAY (*a*), HEYSHAM (*b*), aliique. Quadraginta enim annorum experientia sedulaque investigatione edoctus prior morbum hunc nunquam bis invadere mortales afferit, suspicionem alens: nervosam febrem proxime noftro cognatam, vanae repetitae infectionis opinioni ansam dediffe. Alii ceterum morbi contagiofi, variol., morbill., peft. (*c*), eodem gaudent privilegio, qui semel corpus aggreffi omne in aevum plerumque illud relinquunt intactum. — Latet vero in DEMOCRITI puteo ratio, nonnullis cur venenis celerrime adsuescat N. H. a noxiis illorum effectibus in pofterum immunis.

IX. *Humano tantum corpori illud contagium videtur inimicum.* Omne miasma nobis infeftum hydrophobicum fi excipias (de varioloso adhuc ambigitur) abrutis gradum quafi inhibet, nec illud ipfis invisum hominem laedit (*d*). Noftrum praeterea affectum

(*a*) L. c. p. 55-58.
(*b*) On the Iail Fever. 14.
(*c*) SAMOILOWITZ, Memoire sur la Pefte &c. Paris 1783. 70.
(*d*) BLANE 1785.

in mares saepius ac in foeminas, facere impetus, negante licet HEYSHAMO, explicatu est difficillimum (*a*). Infantilis vero aetas plerumque a morbo immunis nutricum mammis, ut in raphania (*b*) fieri solet, succumbentium impune delectatur.

X. *Facili negotio in fugam verti potest saeva illa contagio*. Detectis enim mali fontibus efficacissimis ipsi obviam ire remediis cum ad illud avertendum ac supprimendum, didicimus, a natura ultro nobis concessis. Omnis nempe calor sive sit naturalis, sive artificialis, summum est morbi antidotum. Caloris semper impatiens frigidissima ac borealia globi nostri colit loca, perspicuo sat documento, miasmatis naturam a putredine quam maxime abhorrere. Scorbutus dein, frigidum licet, ut noster, deamet clima & uterque morbus navigantes saepissime infestet, tantus tamen utrique intercedit dissensus, ut alter alterum quodammodo amoliatur. — *Miasma tandem, sua destitutum vi, sponte evanescit*. An forte eius rarefactio sive potestas venenis assuescendi aliave subsit caussa, parum constat.

(*a*) LETSOM l. c. vers. germ. 22. 44. 84. CAMPBELL 55. 56.

(*b*) SELLE med. Cl. 375. TODE Bibl. B. I. 155. TAUBE al.

Unaquaeque autem epidemia nunc citius, nunc tardius suum absolvit cursum, nullae adstricta legi. Aliae citatis passibus ad finem tendentes magnam sub vigore edunt stragem. Aliae sensim incrementa capientes, lento plerumque incedunt passu, morbique dein sporadici faciem induentes sero evanescunt.

CAPUT IV.

Definitionem morbi exhibens.

Hisce praemissis ad definiendum nos accingamus affectum, quem brevissimis verbis *febrem sui generis* dicimus, *e specifico coortam miasmate*. Illud vero miasma a quovis alio plane diversum, est soboles ambientis aëris, vitalium animantium exhalationibus eorumque effluviis, si diutius a libero aëris commercio secluduntur, summe corrupti.

Haecce morbi definitio, si nimis manca inveniatur, Tironi parcatur, cum nullus fere illam exhibens, rem plane exhauserit. Genericam autem morbi descriptionem iamiam exhibuere SAUVAGESIUS (*a*), nec non CULLENIUS, cuius gravior Typhus nostram com-

(*a*) Nosolog. method. Amstel. 1763. T. I. 308.

plectitur febrem (*a*). — Mirabitur forsan quispiam me singularis miasmatis prolem morbum vocasse, ex eodem parente usque enatam, cui vero lubet Auctorum scripta pervolvere, malique adeo exitiosi ortum, progressum, duplicemque medendi rationem, attenta secum perpendere mente, huic, nullum certe de peculiari morbi natura supererit dubium.

Hoc omnigenum chaos cunctis in terrarum orbe circumfusum corporibus, per omnia naturae regna distributum, quod, cum animalium ac plantarum vitae inserviat sustentandae, haud inepte vitae dixere pabulum (*b*). Illud vero fluidum mobilissimum non est purum, sed magna rerum quantitate, in eo obvolitantium, miraque scatet partium diversitate (*c*). Ne minimam quidem, ait cl. THIERY, particularum heterogenearum partem suspicimus, in aëre circumnatantium, ibique commorantium (*d*). Genuinam quidem, si spe-

(*a*) Morbus contagiosus, calor parum auctus, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, urina parum mutata, sensorii functiones plurimum turbatae, vires multum imminutae. Synops. nosol. meth. Ed. IV. Gen. V. 29.

(*b*) MARHERR Praelect. in BOERH. instit. med. T. II. 219.

(*c*) HALLER Prim. lin. Physiol. cur. WRISBERG. not. 79. ad §. 281. HAGEN *Grundriss der Experimentalchemie* 153.

(*d*) HENSCHEL diss. de atmosph. eiusq. in C. H. efficacia, Hal. 1787. 12.

ctes, aëris indolem nec vitae nec sanitati obesse, sed misturae alienorum ratione, variaque rerum natura ipsum ingredientium, valetudinem alterare ac laedere potest (*a*). Nam ex pulmonibus hominum brutorumque myriadum emissus aër, diversas tot multiplicis regni e globo particulas recipit, ope solis, innati caloris, aëris, ventorum & aquarum evolutas, toti corporis oeconomiae plus/minusve infestas: quippe, cum non solum ambiat corpus, sed & per patula cutis, oris, nariumque spiracula ad intima eius penetralia perveniat. Summum vero, ut constat, detrimentum aër capit, pessime corporis afficiens, si non renovatus multoties vitali adhibeatur respirationi. Versantibus enim pluribus angusto in loco hominibus, munditiem non colentibus, saluberrimo paullo post destituitur principio, situmque veluti contrahendo vappescit, suo orbatus elatere. Noxiis denique, quae e pulmonibus corporisque superficie exhalant vaporibus, rerum tot heterogenearum gravidus aër tanta gaudet virulentia, quanta pestifero illi contagio sufficit producendo.

(*a*) M. L. LEVI diss. de morb. epidem. Goett. 1776. 20.

CAPUT V.

Morbi historiam sistens.

Non idem semper observatur morbi decursus, idemve symptomatum augmen, sed magna eorum varietate circumfusus, facie polymorpha interdum incedit affectus: nullis periodis nec diebus, quibus evadat aut succumbat aeger, adstrictus. Multos tertius, quartus, imo secundus occidit dies; quid! quod ipsa infectionis momenta visa sint lethalia. Complures praeterlapsa altera, tertia, quartave hebdomade reconvalescunt, aut intra illud tempus morbi atrocitate pereunt. Accidit tamen, ut tardius ad integritatem redeant. Quo ferocius furit aspera hyems, eo perniciosior evadit morbus, plerumque epidemicus, nonnumquam sporadice infestans. Ut vero clarius innotescat eius facies, omnium eorum, quae morbum nunc antecedunt, nunc concomitantur & subsequuntur, succinctam tradam historiam. In hunc proclivis se non belle habere incipit, accedit color faciei mutatus, pandiculatio, caloris vagi, frigorisque vicissitudines (a). Hor-

(a) LIND l. c. 310. PRINGLE 341. MONRO 7. BROCKLESBY 136. CAMPBELL. 57. HEYSHAM 8. WALL 4. GRANT 94. GARDIN. 215.

ripilationes excipit gravitas capitisque dolor, dorsum, lumbos, nonnumquam latera occupans, subinde arthritici instar, vagans. Conqueruntur de lassitudine, ac si multo labore essent defatigati, deque omnium membrorum dedolatione. Accedit vertigo, nausea, vomendi conatus aut ipse vomitus, vapidoque sapore imbutum os omnes fastidit cibos. Quibus iunguntur languor, virium lapsus, pusillanimitas insolitaque animi deiectio (*a*). Primis haud raro diebus supervenit mentis obnubilatio, & leviter insanit aeger, aliena obloquens. Pulsus utplurimum sunt parvi ac celeres, magni interdum imo naturali paulo frequentiores. Lingua apparet alba, sicca, aliquando deprehenditur humida, striis notata. Cutis est sicca, aut levi madet sudore. Urina intense est rubra, aut citrini coloris, turbida nonnumquam, vel parum a naturali recedens. Aegri vultus adspectu tristis, ferocitatem non raro, nescio quam, prae se fert; vacillant genua, pedibus manibusque magno tremore correptis (*b*). Nox ducitur insomnis, pavoribus & phantasmatis interrupta avolat, & e le-

(*a*) PRINGL. 343. MONRO 11. 15. GRANT 44. 78. BROCKL. 150. BLANE 267. HEYSH. ib. WALL 5. 32.

(*b*) HUXAM 126. 235. WALL, MONRO, PRINGLE, GRANT, HEYSH. loc. cit.

cto surgentes fessos potius ac somno recreatos invenies. In hac valetudinis ambiguitate per aliquot dies incerto pede obambulat aeger, oscitans & insolito torpore languens. Muneribus perfungendis praeesse conatur, pessime sibi consulens.

Ingravescente valetudine omnia aggravantur symptomata. Summa inquietudo viriumque debilitas incredibili cum anxietate adstantibus vix ferenda, lecto defixum nunc exercent, gemendo acerbam deplorantem sortem. Oculorum fit tristior adspectus, dolent, languent, lucem refugiunt, & adnata, ut in chemosi, suffusis rubet humoribus (a). Caput magis magisque ingravatur & obnubilatur. Nam saevus dolor nunc omne caput, nunc sinciput & occiput seorsim infestat, aut circa tempora furit. Deliria plerumque sunt continua, suavia, breviaque lucida intercurrunt intervalla. Cum somno indulgere videantur, clausisque oculis dormientis imaginem referant, vividis paullo post perterriti insomniis expergefiunt, absona reddentes responsa: nec prius redit mens, donec sibi habeant persuasum, spectra vanaque idearum simulacra inter dormiendum

(a) LETSOM 35. CAMPB. 59. MONRO 15. 22. BROCKLESBY 138. WALL 4. GRANT 91. HUXH. al.

ipsis obvolitasse. Nonnumquam calor fit intensior, imo acer, cum siti haud exigua. Pulsus debilis, fere semper aequalis, sed celerrimus micat, ita, ut intra minuti spatium centum & quinquaginta plus minusve numerentur vibrationes (a). Lingua est arida, fissa, fumo quasi indurata omnis impos motus, nedum loquelae: Interdum naturali gaudet colore, sed superficies vitrea apparet, dura ubique aut scabra. Urina, quae mittitur, rutila, raro sedimentum deponit, nubeculis aliquando nigricantibus punctis interspersis, ceu tantillum sanguinis ipsi fuisset admixtum, turbatur (b). Capite primarie adfecto limpidum ac tenue reddunt lotium sinistro utcunque augurio. Per omne morbi stadium cutis subinde deprehenditur humida aut hinc illinc erumpunt sudores, imo sudore quandoque diffluit corpus. Utplurimum alvus naturali tardior & stricta, interdum laxa nimis cum crebris ac foetentibus deiectionibus. Nec infrequens est narium haemorrhagia subinde profusa: porro susurrus auriumque tinnitus ac surditas; morituris gravior est obauditio. Ge-

nae,

(a) HUNTER 348. LETS. 45. MONRO 25. HEYSH. 12. CAMPB. 60. BROCKL. 138. GRANT 150.

(b) HUXH. 235. CAMPB. 60. PRINGL. 344. MONRO 12. HEYSH. 8. LETS. 37.

nae, ut illae phthisicorum, ardent nonnunquam, & circumscripto rubore splendent nec fausto omine pupilla, ut in hydrocephalo ampla invenitur & dilatata. Accedunt saepius raucedo, tussiendi proclivitas, pectorisque inflammatio, factoque ad pulmones humorum decubitu; cocta eiiciuntur sputa cum pungente laterum dolore, capite incolumi permanente (a). Nonnulli vomitu sanguinem reiiciunt, aut e gingivis exstillans ori adhaerescit, animamque reddit foetentem. Pertinax aliquando vexat singultus, rheumatici affectus & ischuria cum tumore ac fluctuatione in abdomine, motusque convulsivi serius citiusve aegros misere affligunt. — Morbo in mortem vergenti superveniunt aphonia, extremitatum frigus, involuntariae exercitationes; facies collapsa frigido est obsessa sudore; pulsus tremulus sub digitis repens, adeo celer, ut eius micatus vix percipi queant. Oculorum splendor evanescit, angulis squalore obsessis. Os faucesque nigro squalent muco. Aegri iacent attoniti, aut perpetuo detenti delirio, omnia, quae deglutienda propinantur, pertinaciter recusantes. Tremores dein tendinumque subsultus vitae filum abrumpunt.

(a) HUXH. 66. 312. CAMPB. 64. HUNT. 364. LETS. 81. MONRO 7. 33. HEYSH. 9. 13. LIND; GRANT 147.

En diram morbi faciem! Sed alio evenit tempore, ut celerior sit morbi decursus ac praeceps incrementum, cunctis symptomatibus in deteriorem abeuntibus partem. Gravem capitis dolorem mox excipit animi abiectio, angor, tantaque virium prostratio, ut levissimos corporis motus animi deliquia comitentur (a). Pallens ac livida contabescit facies, tremunt artus, linguaque ore educta. Non multo post varia cutim perrumpunt exanthemata; nam vibices & petechiae purpureae, aut lividae corpus nonnumquam defoedant, aut pustulae in facie efflorescunt elatae, acri ichore plenae (b). Interdum miliaria, aurium apostemata fauciumque, parotides, bubones, anthraces in febre sunt visi (c). Os si inspexeris, omnia aphthis albis, fuscis nigrisve obsita invenies. Aeger suave delirat aut stupet comatosus, gemit, se optime valere de valetudine sciscitantibus respondet. Omnibus tandem sensibus orbatus, pulsu arteriarum obtremiscente, imo tar-

---

(a) CAMPB. 61. MONRO 11. HUXH. 117. HEYSH. 9.

(b) HUNT. 353. BROCKL. 138. MONRO 17. 21. BLANE 271. CAMPB., HUXHAM, PRINGLE, LIND, GRANT.

(c) MONRO 19. 52. HUXH. 256. LETS. 81. GRANT, LIND, PRINGLE, RUSH. cf. *Abh. für prakt. Aerzte*, *B. XI.* 724.

dante, delirium profundo excipitur somno, nec multo poſt continuo.

Si reconvalescit aeger, abs ulla evacuatione critica sero redit sanitas, priſtinaque integritas. Ingens diu remanet virium lapsus ac membra macie adeo sunt confecta, ut super oſſa haereat cutis. Respiratio lenta, circulatio pigra, vox inarticulata, oculi sunt cavi, crura occupat tumor, animusque negotiis nimis diſtractus syncope aut delirio haud raro corripitur lethali.

CAPUT VI.

Aetiologiam morbi exponens.

a. Cauſſa praedisponens.

In eruendo cauſſarum noſtri affectus scrutinio receptum a Pathologis sequimur ordinem, illas in proximas & remotas, has iterum in disponentes divisuri & occaſionales. Neutra enim sola producendo sufficit morbo, sed utrisque eſt opus concurrentibus, ut nascatur morbus (*a*). — Quae itaque in disquiſitionem veniunt

(*a*) GAUBII pathol. gener. Norimb. 1787. 22.

morbosa seminia, si abfint, nocens potentia nocere nequit. *Frigidior vero anni climatumque conditio, gelidusque coeli aërisque flatus*, ut primaria gravissimaque affectus caussa, a nullo tempore auctore silentio praetermissa, venit accusanda. Tanti enim facit excitando in morbo, ut, adveniente calore plane non erumpet morbus, ni paulo ante saeviret, aut si erupit, sua sponte evanescat. Fervens hinc aestas, solisque ardore fota regio nec excipiendo, nec fovendo isti contagio inveniuntur apta. Frigidissimis anni mensibus morbum progerminare, celerrime sese diffundere, ac primo vere ultro avolare, omnes fere uno testantur ore, nec unquam calidiori sub Iove in navigiis ac xenodochiis, hominibus licet sordibus ferme sepultis scaterent, febrem observarunt (*a*). Morbo hoc affecti marique commissi, calidiorem, ac puriorem si spirant aërem, protinus sanitati restituuntur. Sin contingit, ut ingruente aestate & regione calidiori, neglecta omni munditie ac aegrotantium separatione, adhuc vigeat morbus, tunc longe mitior solet esse eius decursus. Mirum profecto ac dignum pervestigatione morbi attributum! Quanta

(*a*) WALL p. 10. HUNT. 3<4. HOWARD 55. CAMPB. 39. LIND 204. 209. 226. BLANE 214. 216. 141. 153. 274. al.

huius phaenomeni solutio ac universae contagii doctrinae difficultate premitur, nec BLANIUM latet, qui ex *rariori vestium maxime lanearum usu, liberiori per domicilia aëris transitu, mutata corporis superficie, ex maiori dein calore accedente, miasmatis volatilitate* prioris argumenti rationes deducit (*a*). Altero autem argumento, praeeunte HUNTERO, calculum addere inclinat animus, *impeditum ac denegatum per diversoria frigidiori tempore aëris transitum accusando*. Alta nempe hyeme & quacunque in terra gelu obsessa illud hominum genus, nudis incedens pedibus, quod omnium maxime nostro patet morbo, tutum a frigore ac imminenti borea in conclavibus quaerit refugium. Vestimentis igneque destituti miseri hi, magnis conveniunt catervis, fenestris portisque probe seclusis, perniciosis exhalationibus sordibusque in vestitu congestis, tantam brevi, vitali fluido labem inducunt, ut qualicumque demum ratione gignendo & disseminando contagio aptum reddatur. Eodem fere modo res se habet in carceribus pauperumque tabernis. — Permultas priori caussas adiicere Auctores, *victum*

(*a*) Ib. 213-215.

crudum, *parum nutrientem*, *intemperantiam*, *viriumque imbecillitatem*, *nec non ingrata incusando animi pathemata* (*a*). Quibus rite expensis eorum in sententiam ire, in remotarum serie illas collocando non est quod obstet, cum iunctis viribus corporis robur, animique fortitudinem evertendo, maximam inferant debilitatem, alteram utut e praedisponentium catalogo caussam. Qua quidem praesente omnes functiones plus minusve laedi, transpirationem ac se-& excretiones supprimi, corpusque ad agmen morborum potissimum contagiosorum (*b*) suscipiendum, proclive reddi, haud difficile est intellectu —.

b. Caussa occasionalis.

In perscrutandis potentiis nocentibus duae in censum veniunt arcto utcunque vinculo adinvicem nexae. *Immundities nimirum*, *maximeque neglecta corporis cura hominum*, *loca ab aëris accessu remota*, *cohabitantium*. In actum vero erumpit nullo non tempore noster affectus in infimae sortis hominibus, quos dura

(*a*) HEYSH. 36. GRANT 18. BLANE 211. LIND 149. HOWARD. CAMPB. MONRO. RUSH.

(*b*) ZIMMERMANN l. c. 537. BEYR l. c. Sect. 3. 20.

premit paupertas, rerumque neceſſitas, eaque petit loca, dictis obvia cauſſis: tuguria scil. pauperumque diversoria; insequitur, ptochodochea, ergaſtula, operariasque domus; infeſtat caſtra & navigia cumprimis bellica; summoque prosequitur odio nosocomia, carceresque ac quaelibet dein captivorum receptacula, nimis referta. Pleraque haecce loca calamitatibus undique obruta, summe infelicia reddit malum insurgens! Omnibus enim, quae vitam in tot tantisque miseriis perferendis iucundiorem faciunt, deſtituti; saevis subinde doloribus, morbisque excruciati, vinculis imo onuſti, fractis fame, curis, vigiliisque viribus, prope iam consumuntur malorum socii! Sordidis porro a multo inde tempore utuntur veſtimentis, semiputridis fere, cutanea perspiratione foetidiſſimis, omnique squalore immerſis, rigidis! Summo tandem coeli beneficio sudo carent; cum a renovati aëris hauſtu excluſi, suam noxiis totque peſtiferis vaporibus effluviisque imbutam atmosphaeram per pulmones semel atque iterum imbibere coguntur! Fieri itaque non poteſt, quin tantam senſim contrahat vim ac nocendi poteſtatem ille aër, ut illaesa sanitate illum non amplius haurire poſſint mortales, ac praesenti inaſſuetis nonnumquam evadat veneno. — Quilibet nunc facile perspiciet, cur navigia, caſtra,

nosodochia carceresque potiſſimum infeſtet ferox ille affectus? Illi enim contagio prae ceteris ea favent loca, quae tantam tenent hominum multitudinem, quantam circumscriptus vix locus capere valet.

c. Cauſſa proxima.

Ad proximam, quae reſtat investiganda, cauſſam morbi enucleandam perniciosior aëris ſtatus, in quo evolvitur miasma, in discrimen venit (*a*). Purus autem aër nunquam contagium secum devehit, sed efficaciſſimum miasmatis videtur antidotum; quod quidem loca, in quibus diffunditur contagium rationesque ipſi occurrendi teſtantur (*b*). Magnas hinc subeat mutationes, ut illi spargendo par evadat contagio, neceſſe eſt. Hoc vero vitium in atmosphaera tunc latitans ex una aëris specie vel praevalente vel deficiente absque hallucinatione vix deduci licet, quamvis conſtet omnem non aërem, conſtitutivas ſi respexeris partes, ad spirandi negotium aeque evadere aptum. Omnium quidem consensu respira-

(*a*) OWEN l. c. 374.

(*b*) Qua in re mecum diſſentit CAMPBELLIUS, qui illam e debilitate corporis ac vasorum cerebri non satis tuto deducere ſtudet.

tionis organis amicissimus ac summopere idoneus, dephlogisticatus deprehenditur, seu ignearum partium ditissimus aër (*a*). Licet autem permultis in morbis magno sit auxilio, minimam tamen atmosphaerae constituit partem: nam meracum sine valetudinis detrimento sanus diu ferre nequit. E diametro ipsi oppositus, qui audit phlogisticatus, phlogistico scatet (*b*), magnaque licet copia atmosphaerico maritatus aëri, perutilis eius habetur pars, quantitate vero peccans, phlogisti secretionem eiusque evacuationem per pulmones cohibendo, summe nocet. Fixus denique aër singulari gaudens acido, non tamen phlogisti expers (*c*), ni exsuperet impune fertur; meracus vero atmosphaerico iunctus pessime corpus afficit, nam suo, quo omnibus praecellit, pondere, acerrimus est vitae hostis (*d*). Iustum quamdiu inter aëris trigam consistit aequilibrium nec inflammabili principio, aliisque vitiis peccat atmosphaera, saluberrimo tamdiu circumfundimur Iove, omni labe immuni, quod si vero una aëris species exsuperat, vita plus minusve periclitatur. Sed omnia cum animantia, quae

(*a*) HAGEN l. c. 148. 149.
(*b*) Ibid.
(*c*) BLUMENBACK instit. physiol. 112.
(*d*) DAY l. c. 85.

respirant, dephlogisticatum aëris principium absumant, & fixum ac phlogisticatum reddant aërem (*a*), hinc ille, qui ea subit ac circa circum stagnat haud renovatus & multitudine illorum circumfusus usui inserviens, brevi tempore summo ipsis erit detrimento. Talis est aëris conditio in carceribus, nosocomiis, navibus & quocunque multorum hominum diversorio non rite ventilato. Summam, ut ante ostensum est, concipit virulentiam, cum quisquiliis tot variique generis impuritatibus in vestimentis sordidi corporis maxime nidulantibus inquinetur. Rerum adeo heterogenearum concursu & mixtione veluti e germine ignotum evolvitur venenum, quod propriam sive speciem, novamque quasi aëris genesim, sive specificum dixeris, suique generis miasma, in illo obvolitans aëre (*b*). Oboritur tamen suspicio, *illud esse virus singularis indolis*, *subtile admodum ac volatile*. Quod si semel fomitem concepit, coeco tum actum furore huc illuc vagatur dimanatque in vicinos, simili labe eos afficiens. Nulli fere parcens aetati,

(*a*) HAGEN 151.

(*b*) Ingeniosa ALDERSONII (l. c. 16. 32. prol.) hypothesis, qui, hocce miasma venenatae corporis maximeque pulmonum excretioni, febre viventium exhalationibus enata, suam debere originem, evincere studet, inanitatis suspicionem prae se ferre videtur.

aut ulli corpori in sanos non solum aegros incautius assidentes propagatur, sed & hi contagionis nescii, vestibus, quibus diutius adhaeret, in dissitas maxime secum afferre possunt regiones. --- Prima vero quae sint huiusce miasmatis stamina, qualesve subeat atmosphaera, cum hoc insurgat venenum, mutationes? si ex me quaeris, me illud ignorare, cum HUNTERO aliisque ingenue fateor: nam eius natura tam alta premitur caligine, reliquorum instar miasmatum, ut ipsi removendae vix par evadat mortalium ullus (*a*). Est enim ultra quod physicis investigationibus progredi nequis, & quo plus rerum caussas rimari vis, eo magis erroribus implicari periclitaris. Malum praevertere, ipsi medicinam facere, obicemque ponere didicisse, nobis sufficiat.

CAPUT VII.

Differentiam sistens a putrida febre.

Ad arduam nunc & magni rem momenti considerandam ordo me ducit a rei dignitas. Gravis nimirum error, qui multos magnique ingenii viros diu tenuit, & magna ex parte

(*a*) DAY 20. 38. HUNTER 353.

illorum animis adhuc haeret infixus, erit impugnandus, eaque qua decet, observantia refutandus. Noftrum vero affectum conftanter putridae effe indolis, ac intenfiori modo putredinis gradu ab omni putrida febre abludentem, sententiae video addictos HUXHAMUM (*a*), PRINGLIUM (*b*), MONROUM (*c*), BROCKLESBYUM (*d*), HOMIUM (*e*), LETSOMIUM (*f*), F. HOFFMANNUM (*g*), SWIETENIUM (*h*), HAENIUM (*i*), STOLLIUM (*k*), ZIMMERMANN (*l*), R. A. & S. G. VOGELIUM (*m*), UNZERUM (*n*), QUARINUM (*o*), SELLIUM (*p*), BURSERIUM (*q*) al., ac

(*a*) L. c. T. I. 268.
(*b*) L. c. 359.
(*c*) T. I. 76.
(*d*) *Beobacht* 140.
(*e*) Princip. medic. Edinb. 1758. 84.
(*f*) L. c. 17.
(*g*) Fundam. path. spec. Hal. 1747. 86.
(*h*) Malad. des armées Par. 1760. 136. Commentar. T. IV.
(*i*) Rat. med. T. III. XI.
(*k*) Rat. med T. 2. 185 Aphor. 164.
(*l*) *Von der Erfahr.* 387 *Von der Ruhr* 201.
(*m*) De cogn. & cur. C. H. affect. §. 54. *Pract. Handbuch* T. 1. 367.
(*n*) *Pathol. der ansteck. Krankh.* 235. *Mediz. Handb.* B. 2. 248.
(*o*) Method. medend. febr. 39.
(*p*) Pyretol. meth. 179. Med. Cl. 27.
(*q*) Inst. med. pr. T. 1. 351.

potiſſimum illos, quibus aliorum ex descriptione innotuit ille. Quod ſi vero recentiores, qui febris mentionem fecerunt, Auctores consulimus, ipſisque, qui diu noctuque aegrorum lectis aſſidentes, morbi indolem attenta indagarunt mente, fidem denegare nolumus, eorum in sententiam, qui noſtram a putrida probe discernunt febre, ire impellimur. Licet vero morbum ſingularem, a putredinis genio abhorrentem, febris speciem habeamus, facile tamen largiemur, illum certis sub conditionibus quammaxime in putridum vergere ſtatum. Hoc praecipue eveniet, quando favet epidemica anni conſtitutio, aut aegrotantis atmosphaera putridis forte scatet effluviis, aut scorbutus, dysenteria, aër calidior, laxior corporis habitus aliaeque huius comatis circumſtantiae concurrunt, ubi facillime degenerat morbus, ac symptomatibus humorum fuſionem teſtantibus maxime versus finem complicatur. Id tantum pernegamus: nec solidorum labem, nec putridam humorum diatheſin characterem noſtrae febris eſſentialem efficere conſtantem. --- Praecipua vero criteria, quibus uterque diſtinguitur morbus, sunt sequentia:

1. *Intensum frigus adultamque hyemem maxime amat noſter affectus*. Veris enim teporem ac aeſtatis ardorem cane peius & an-

gue fugit, & tantum abest, ut arceatur gelu, opprimaturve contagium, ut summo frigoris gradu, hyemisque umbilico atrociter furere incipiat ac iugulare. Propterea etiam calidiori in zona & ardente syrio fere nusquam, ut supra monui, observatur dira contagio. Contrarias & e diametro oppositas plerumque observant leges putrida febris, multique morbi contagiosi, hyemem ac frigora, citatis quantum possunt, passibus fugientes. Calidum enim humidumque aërem deamat putredo, qui ambiendo ac penetrando corpora, solida relaxat, fluida intestinos in motus ciet, iustam eorum crasin alterans. Summum hyemis frigus gravissimarum progressui febrium efficacius resistere, testatur PRINGLIUS aliique cum illo, calidissimis in regionibus ac in temperatioribus fervente aestate febres potissimum observantes (*a*). Frigus, inquam, quo pestem & variolas in fugam verti tradunt, SYDENHAM (*b*) & MERTENS (*c*), miasmatum vim infringit & augendo corporis robur dispositionem ad plerosque morbos epidemicos tollit. Quibus assentitur HUXHAM, *frigida*, dicens, *vel pro-*

(*a*) OWEN 362.
(*b*) Opp. omn. Genev. 1716. 23. 65.
(*c*) Obs. de febr. putr. peste, aliisque morb. Vien. 1778. 81. 89.

cellosa tempestas aut contagem arcet aut pestilentialem dispellit auram, cum per humidam calidamque aëris temperiem contagiosi maxime propagentur morbi (*a*).

2. *Scorbutica labe affecti vix unquam huic patent contagio & diutissime infectioni resistunt* (*b*). Cum vero scorbutus ex omnium sententia in ultimo morbi stadio in putridam vergit naturam, multorumque dein symptomatum, caussarum ac medelae habita ratione putridus affectus & scorbuticus multum conveniunt, proxima utrisque intercedat familiaritas, necesse est (*c*). Quid vero obstet, quo minus uterque affectus, si nostri indoles esset putredo, idem corpus simul saepissime invasurus, aut hydrope & ictero inveterato laborantes interdum sit occupaturus!

3. *Spontaneae & artificiales haemorrhagiae permagnae saepe saepius nostra in febre utilitatis sint visae.* Larga enim narium hae-

(*a*) Opp. T. 1. *66. 61.*

(*b*) LIND l. c. 188. 195. *196. Von Schaarboch, Leipz.* 1775. 95. MILMAN inquiry into the source of the scury and of putrid severs, Lond. 1782. 91. FERRIS l. c. 506. GRANT l. c. 23. CAMPB. al.

(*c*) MILMAN l. c. 112. FERRIS l. c. 522. 527. GRANT enquiry into te nature of the fevres &c. Lond. 1771. 112. MEZLER *über die Wassersucht u. Ansteck. Ulm.* 1787. 171. DINCKGREVE diss. de simil. febr. putr. & scorb. al.

morrhagia, deliria ac congestiones superiora versus removendo multum levaminis aegris subinde adfert (a). Nec ab initio solum sed ulteriori in morbi progressu, si res illas exigit, cum fructu celebrantur phlebotomiae (b). Eiusmodi autem evacuationes inprimis serius institutas, in putrida febre sanguinea magno vix unquam carere periculo, nemo est, qui nescit. Sanguinis denique fluxus, qui sponte ipsi superveniunt perrarum adeo habentur salutare morbi conamen, ut summum plerumque discrimen annuncient (c). Porro, *sanguis venis detractus inflammatoria peccans conditione (d) crustam in morbi primordiis saepissime exhibet; imo, si serius venam secandi urget necessitas, spissus interdum prodit, corio tectus pleuritico; quidquod ipsam post mortem!* Alia profecto est sanguinis crasis, vergente in putredinem humorum massa, in qua laxiori gaudet sanguis contextu, tenuis ac dissolutus, fuscus, lividus, saniosus, aut nigris subinde

(a) LIND 104. 304. HUXHAM 237.

(b) LIND 189. BLANE 133. HUXHAM 238. GRANT 29. 60. 173. 148. MONRO 23. 36. PRINGLE 362.

(c) SELLE Pyret. 289. VOGELS *Handb.* T. I. 413.

(d) LIND, PRINGLE, MONRO, GRANT l. c. CAMPB. 124. WALL 17. 24. 79.

subinde maculis foedus apparet, perraro in coagulum tendens (*a*).

4. *Foetidiſſimis suis exhalationibus imbuta atmosphaera, cum scorbutico tum putrido laborantibus morbo, maxime conveniens videtur medicina.* Conſtat nempe scorbuto ac putrida decumbentes febre (*b*) ex corruptiori multo maiorem quam ex puriori magisque dephlogiſticato aëre percipere fructum; quin imo in summum vitae discrimen incurrere, nec raro subitanea morte corripi priores, mutata eorum atmosphaera (*c*). Noſter contra affectus nullam admittit curationem, & optima quaevis incaſſum adhibentur pharmaca, ni noxia aëris qualitas emendetur, priſtina eius integritate reſtituta (*d*).

5. *E diversa utrique febri ratione medendi, ex saluberrimo* nimirum *frigoris usu* exterius in corpus admiſſi, aliud deducitur argumentum, in putrida febre *noſtris* iure su-

(*a*) SELLE l. c. 180. GRANT *Beob. über Fieber, Leipz.* 1775. 263.

(*b*) ERXLEBEN *Anfangsgr. d. Naturlehr. Gött.* 1787. 412. & p. 29. praefat. SELLE med. cl. 28.

(*c*) LIND *vom Schaarbock*, 182. 335. 644. RICHTER *chir. Bibl. B.* V. 534.

(*d*) LIND, DAY, MONRO, BROCKE, CAMPB., PAUL al. var. loc.

specto (*a*). *Parca* etiam *nimis acidorum, opiique frequens ac praematura* nostra in febre *administratio* haud minorem de diversa utriusque affectus natura suspicionem iniiciunt. --- *Integra* denique *denominationum cohors*, opinioni diu receptae parum favet, multo minus adhuc *contagiosa nostri indoles*, quae certe, ut pericula evicere, putrido nequaquam convenit morbo (*b*).

6. *Tandem ad auctoritatem clarorum in Arte virorum provoco*, qui in gravem hunc insurgentes errorem veterum de febris natura sententiam refutare omnes sunt aggressi (*c*). „ *This poison*, inquit HUNTERUS, *has* „ *been supposed to arise from putrefaction* „ *and to produce a disease of the putrid* „ *kind. But, i suspect, we annex very va*„ *gue, and ill defined ideas, to these terms.* „ *If any thing is meant, it must be, that* „ *the poison produces in the living body the* „ *same changes, that happen to dead animal* „ *matter, while in a state of putrefaction.*

(*a*) TODE *mediz. Bibl. B. III.* 17. VOGEL *Handb.* T. I. 422.

(*b*) MEZLER l. c. 166. REIL diss. cit. §. 20. KRAUSE diss. qua disquir. an febr. putrid. sit contagiosa; Tubing. 1783.

(*c*) GRANT l. c. 24. DAY 46. WALL 9. 17. HOWARD 29. CAMPB. 5. 126.

„ *That this is meant, will appear by the*
„ *reasonings and inferences made use of in*
„ *the one case, being applied to the other.*
„ *Thus, putrefaction proceeds more rapidly in*
„ *warm weather than in cold; and therefo-*
„ *re, it has been supposed, that cold wea-*
„ *ther would be a check upon putrid disea-*
„ *ses. But cold is no prevention of the pre-*
„ *sent disease; on the contrary, in proves,*
„ *in one respect, a cause of it. If i may*
„ *be allowed to illustrate this subject still*
„ *farther, by what happens in warm clima-*
„ *tes, where the heat is believed greatly to*
„ *forward the production of putrid diseases,*
„ *i would observe, that for upwards of two*
„ *years that i remained in Jamaica, i never*
„ *saw one instance of the Hospital fever*
„ *though the military hospitals were often as*
„ *much crowded, as they are in Europe.*
„ *The heat proves a prevention of the disea-*
„ *se, as much as the cold forwards it's pro-*
„ *duction. When the weather begins to grow*
„ *warm, it gradually disappears; yet such as*
„ *are taken ill, have the fever more violent"*
&c. (a).

Q 2

(a) L. c. 354. seq.

CAPUT VIII.

Diagnosin morbi tradens.

E morbi descriptione supra exhibita colligere pronum est, febrem illam, nullum, quod pathognomonicum dicere possis, signum agnoscere. Vera hinc eiusque genuina facies, nonnullis recte monentibus (*a*), ab initiis adeo est larvata, ut eam ab ulla alia vix absque allucinatione discernere potueris. Nam prodromos si spectes, primosque morbi insultus, omni fere febri communes dixeris. Difficillima itaque evadit diagnosis; utprimum se diffundit contagium aut sporadicus infestat, aut pectoris, viscerumque inflammationem aliaque mentitur fallax morbi genus. Et profectior quoque morbi aetas characteristicis destituta est signis, quibus prima dignoscitur fronte. E complurium hinc concursu symptomatum eorumque nexu felici, nec non ex sedula caussarum indagatione petenda est morbi diagnosis. Respiciendum est ad vitae genus praegressum, ad domicilium & aegroti commercium cum aliis, denique ad aëris constitutio-

(*a*) LIND l. c. 310. PRINGL. 342.

nem & epidemiam. De infectione non amplius dubitare licet, cum, regnante tali epidemia, aeger fit captus, carcere inclusus, & circa morbo detentus versetur, aut miasmatis odore tactus, & quocumque demum fomite venenum susceperit. Praesente autem febre ad alia quoque eaque quidem ipsi maxime familiaria, animum advertas oportet, symptomata. *Ingens* nempe *virium iactura*, *pusillanimitas* & *summa animi abiectio cum salutis desponsione* aegros semper occupat. Porro *mentis alienatio*, *manuum tremores* & *oculi quasi vitrei cum adnata sanguine suffusa* perpetui adeo inveniuntur affectus socii, ut ex illorum syndrome facillime innotuerit morbi natura. Hisce si iungere vis *contagium*, *pulsuumque velocitatem*, raro deficientem, de genio morbi anceps haud amplius haerebit iudicium. Petechias vero lividasque cutis maculas, quibusdam ut placuit, diagnosticis adnumerare signis, religioni duco, quippe quae multorum suffragio Auctorum inconstans nimis fint morbi symptoma.

CAPUT IX.

Prognosin morbi proponens.

In prognosi tradenda ad virium, capitis & pectoris integritatem, in genere, ad fun-

ctionum trigam quammaxime respiciendum eſt. Magna debilitas ſiniſtrum plerumque eventum portendit; nam virium proſtratio eſt ſignum malignitatis morbi, ac periculi barometrum (*a*). Nec in minori vitae discrimine aeger versatur, ſi conſtans ac perpetuum illum exercet delirium, cum omne delirii genus in morbo ſit alea plenum (*b*). Perinde malum, vitalium viscerum inflammatio, integro licet capite, summe periculosa (*c*). Cutis ſicca, arida, nec non lingua aspera, dura quidquod nigra aut adspectu vitrea triſte cenſetur morbi omen (*d*). Peſſimum: deglutiendi abolita facultas, ac audiendi, loquendi, visendi denegata poteſtas; porro capitis vacillatio, lingua tremens, crebrae lipothymiae, respiratio & arteriarum pulsus celerrimi, inaequales. Tendinum dein subsultus, excretiones involuntariae, summum faſtidium, ſtupores, affectus comatoſi & soporoſi triſtem fere semper morbi exitum praesagiunt. Tremores, qui superveniunt cum motibus convulſivis, extremitates ſi frigent, livent, ſi floccos colligit aeger, corruit, ſi facies frigido viscidoque sudore

---

(*a*) BLANE 267. MONRO 46.
(*b*) CAMPB. *66.*
(*c*) BLANE, CAMPB. ibid.
(*d*) GRANT 157. CAMPB. *61.*

est obsessa, dentes ac fauces atris sordibus scatent, vox faucibus haeret, mortem ante portas esse colliges (*a*). Oculi, prognosticorum fontium principes, certi utut sanitatis mortisve nuntii (*b*) & nostro in morbo omni attentione digni sunt visi. Nam visus hebetudo, oculi languidi, lucem fugientes, splendoris ac vitalis vigoris expertes oum adnata suffusis tincta humoribus utcunque fere proximam denunciant mortem (*c*). Pupilla patens lethalem stuporem & futuras praenunciat convulsiones. Petechiae cutisve maculae nec levant nec malum exasperant; cuti enim discolori evadunt alii, eoque concolori nonnumquam succumbunt (*d*). Stipata alvus & naturali paulo tardior, est signum bonae notae (*e*), nimia vero, valde foetens, imo cruenta alvi deiectio cum desidendi cupiditate, pessima. Ambiguam plerumque exhibet prognosin uri-

(*a*) HUXHAM 236. HEYSH. 18. 19. BROCKL. 138. MONRO al.

(*b*) Pr. ALPIN de praes. vita & morte cur. GAUB. p. 300. GRUNER Semiot. phys. & path. gener. compl. 242. PEZOLD. de Progn. in febr. acut. Ed. II. 54.

(*c*) LIND 274. CAMPB. 63.

(*d*) HUNTER 359. HEYSH. 19. MONR. 17. PRINGLE 350.

(*e*) WALL 5. 80. CAMPB. 70. BLANE 280. MONR. 12. HEYSH. 56. LETS. 78.

nae excretio; quamvis enim cruda & pallida valde sit mala, turbida tamen, rutila, quae sedimentum deponit, non semper levat. Sudores largi, qui in primitiis morbi erumpunt, haud raro malum suffocant: qui serius incidunt, nocent. Ingens calor, sitis ardens, quietis defectus cum ceteris infausta portendunt. Haemorrhagia nimis larga utcunque mala, quae vero e naribus est, salutaris quandoque. Quando locis vesicantibus tectis, quae miti scatent humore, gelatina corii instar tenax, pollicis crassitie incumbit, sinistri est ominis; quae seposita, in carne si apparent maculae pallidae fuscave, omnis salutis evanuit spes, & contra, si albidae sunt rufaeque (*a*). Nihil laetius ac floridae pustulae in ακμη morbi, nil magis funestum lividis & subnigris (*b*). Si vero aeger mentis est compos, viribus valet, in latera & dorsum cubare potest: nec cibos & medicamenta renuit, capitis dolor non valde excruciat aliaque contraria eveniunt symptomata, tunc laeta sperare licet. Sexus potior magis periclitatur ac sequior, infantes omnium minime.

(*a*) LIND 303. 275. 288.
(*b*) HUXH. 269.

CAPUT X.

Infectionis modum exponens.

De viis, quibus illud miasma corpus ingreditur, pauca differere, mecum constitui. Triplici quidem via corpus nostro patere videtur veneno; *cutanea*, pariter ac *pulmonea inhalatione*, ac demum *saliva*, noxiis imbuta particulis. Quid vero obstet, quo minus per poros cutis resorbeatur miasma? cum corporis superficies absorbentibus undique scateat vasculis; quae multa semper ex aëre recipiunt, & acerrimum quodvis venenum in teneris maxime locis subigere valent (*a*). Hunc infectionis modum non admittit GARDINERUS *artificiali huiusce miasmatis*, infitioni, aliorum more, plurimum favens (*b*). Idem pernegat, in inspirationis negotio fieri posse, ut suscipiatur miasma, quin subsequenti exspirationi iterum exhauriatur; alias pulmones semper essent adfecti, necesse foret (*c*). Estne autem haecce infectionis via unica? Quoties

(*a*) CRUIKSHANK anatomy of the absorb. vessels 114. GIRTANNER *über die vener. Krank.* 238.
(*b*) L. c. 191. 194.
(*c*) Ib. 191.

pulmonibus miasmate correptis dura patiuntur respirationis organa, v. g. ex variol. pestil. fere semper, nimiam forte ob volatilitatem, ex morbilloso (si enim inoculatione nobis traditur istud miasma, perraro afficiuntur pulmones (*a*)); ex nostra denique ipsius febris miasmate! Neque ex ipso infectionis loco suscepti veneni constanti lege sinistra emergunt symptomata, scil. in lue vener. morsu animalium viperar. rel. — Aliud, quo in sententiae defensionem utitur, argumentum in exquisita bronchiorum ac vesicularum pulmonalium irritabilitate nititur, eorumque perpetua humorum secretione (*b*). Quibus, veluti munimentis, instructi pulmones eiusmodi irritamentum haud impune sustinerent, ne maiori humorum accumulatione facta, veneni vis eiusque efficacia infringatur ac demulceatur, tussi, sputisve paullo post eliminandi. Num vero omne sub hisce naturae conatibus eiicietur miasma! Nonne mulierem genitalia in coitu muco scatent, qui tamen, si fuerit impurus, damno non caret! An phthisicorum foetens anima in ultimo morbi stadio omni caret infectionis

(*a*) HOME med. facts and exp. 258. ROSENSTEIN *Kinderkrankh.* Ed. V. 327. BURSERIUS l. c. T. 2. 12. VOGEL *B.* 2. §. 56.
(*b*) GARD. 193.

metu (*a*)? Taceamus alias vias, quas simul ingredi potest miasma! Nostrum denique virus narcotica ac sua vi stupefaciente irritabilitatem partiumque sensibilitatem diminuere potius quam exaltare videtur. — *Ventriculus* tandem omnium consensu princeps existit infectionis fons ac regia via, quam miasmata, salivali latice impraegnata, intrare solent. Permulta quae huic favent sententiae & nostro in morbo occurrunt phaenomena. Praecipuum vero argumentum ex singulari, quem descripsimus, odore (*b*) in ventriculum penetrante repetendum est, quem nausea, praecordiorum oppressio aut vomitus, aliaque excipiunt symptomata, licet omnia haec, aeque ac illa, quae idiopathicam pulmonum affectionem testantur, me non monente, consensus lege explicari possint. Deglutitae etiam salivae ac emeticorum, quae malum in incunabulis haud raro supprimunt, nec non sialagogorum utilitas huic opinioni calculum adiiciunt.

(*a*) FRACASTORIUS opp. Lugd. 1554. 218. QUARIN animadv. practic. in div. morb. p. 68. ZIMMERMANN l. c. 389. VOGEL, V. SWIETEN, FRITZE al.

(*b*) HEYSH. 33. LIND 242. al. p. 43. cit.

CAPUT XI.

Problemata quaedam solvens.

At caussam rimari, cur iste affectus Anglis adeo inveniatur infestus, ut endemii morbi cognomine a multis sit salutatus, operae pretium videtur. Nam ab antiquissimis retro temporibus ad hodiernum usque diem gravi ac insigni odio, imo graviori adhuc hodie Britannicam prosequitur gentem saeva pernicies! Huic caussae enodandae varias in sententias iverunt Auctores. Maximo autem stupore perculsus in peregrinationibus exoticos quosdam carceres haud secus ac patrios omni squalore immersos, captivosque sordibus quasi sepultos invenit HOWARDUS, ubi ne nomine quidem dirum innotuit malum! Ex sequentibus vero in patria mali fontem emergere ratus est: „ *Captivi*, ait, *iuvenilem plerumque vitam viventes, aptiori domicilio carnibus ac spirituosis sunt adsueti; rectaque gaudentes valetudine sub validis corporis exercitationibus liberum vitae genus sequebantur. Omnibus nunc destituti in profunda carcerum latibula deiiciuntur, tetro immersa foetore, ac tenui victuque crudo emaciati ne cubilli, cui fessa dent membra, reficiuntur. Quibus denique ac*

praecipue libertatis amiſſione tanta illorum animos occupat deiectio ac vitae taedium, ut plerique praecipiti abrepti fato non multo poſt naturae debitum reddant (*a*). Dura autem haecce fata imo peiora adhuc cum aliis quoque in terris subeant captivi, alia mihi videtur subeſſe cauſſa, omniumque optime magnus HALLERUS nodum huncce Gordium solviſſe. Cum illo enim in itinere congrediens HOWARDUS cum sermo in id incideret, *ingentem captivorum numerum in Anglorum cuſtodiis ſimul viventium*, ut mali fontem accusavit acutiſſimus Vir! Genuinae huic sententiae primariae etiam ſi quid video, ex aſſe respondent morbi cauſſae. Quo frequentior enim circumscripto in loco exiſtit viventium numerus, eo magis ac celerius aër, ni renovetur, depravetur, neceſſe eſt. — At aliis quoque populis noſtrum innotuiſſe affectum, paucis iam dilucidabo exemplis. Mota aliquot abhinc annos seditione, carceres in Hungaria captis refertos noſter invaſit morbus, ipſis & adſtantibus fatalis (*b*), tantoque aliquando cum impetu in nosocomio S. Ludovici, neglecta in ea multitudine hominum munditie, desaeviſſe fertur, ut octingentos ſimul

(*a*) HOWARD. 193.
(*b*) CAMPB. 13.

prosterneret homines (*a*). Nec Galli tantum (*b*), sed Itali, etiam (*c*) Germani (*d*), Russi, ac Hispani (*e*) haud semper a morbo evasere immunes. Lateatne in tanta cognominum morbi diversitate ratio, cur aliis parum videatur cognitus ille affectus? — Recentiori dein aevo cur multo perniciosior crebriorque, ac quondam Anglorum carceres infestet? intellectu haud difficile est. In neglecta autem circa aegros corporis custodum cura, eorumve inscitia mali fontem delitescere, temere quidam sunt suspicati, cum *nimius captivorum numerus in dies accrescens solummodo sit incrependus*. In parvo enim Angliae regno, numerum captivitate detentorum 7482. superare afferunt alii (*f*), pluresque captivos illa peste quam suppliciis perire inde deducit G. PAULUS: quidquod illorum numerum, incredibile dictu! dimidia plus parte ultimo fuisse adauctum quinquennio, ad calculum revocavit DAY (*g*). Quae cum ita sint, non est, quod mi-

(*a*) HOWARD 83. 101.
(*b*) GRANT 42.
(*c*) CERA lib. cit. 82.
(*d*) PRINGLE lib. 1. pass. MONRO l. c. 2. seq.
(*e*) LIND 307. 308.
(*f*) HOWARD an account of the principal lazarets in Europe; with var. pap. relat. to the plague, and furth. observ. en some forcing prisons and hospit. Warringt. 1789.
(*g*) L. c. p. 20. 21.

rationem moveat, si, crescentibus mali caussis, multo frequentius ac solito funestius hodie morbum observamus. — Multo minus miremur, illud contagium toties petere Anglorum navigia, incredibili sese diffundens celeritate. Infectionis enim fons ex illorum carceribus plerumque originem ducit, captivis contagii seminia secum afferentibus (a).

CAPUT XII.

Complicationes morbi tradens.

Complicari aliis cum morbis odio habens, liberum, ut multi, super corpus exercere imperium amat noster affectus. Verum enimvero HUNTERI opinio, unum miasma intra corpus susceptum omnibus aditum praecludere, cum fidae repugnet experientiae admitti nequit. Reliqua ut taceam, nonne variolae morbillique cum inter se tum aliis cum morbis frequenter connubia ineunt? Nec dispar in nostro obtinet ratio. Haud raro enim accedunt pectoris inflammationes, &, ut cadaverum sectiones edocuere, encephali ac intestinorum. Sociam aliquando sibi adsciscit tus-

(a) HUXHAM T. 1. 256. OWEN l. c. 368. ALDERSON 61., DAY, LIND, BLANE al. var. loc.

sim, febrem flavam (*a*), nervosam, putridam ac depuratoriam SYDENHAMI; imo inflammatoriam (*b*), icterum (*c*) dein, dysenteriam (*d*), ischuriam (*e*), phthisin (*f*), ophthalmiam, anginam, rheumatismum vagamque arthritidem (*g*), rarius scorbutum & hydropem. Nonnumquam vermibus & intumescentia testiculorum complicatur morbus (*h*); aut miliaria (*i*), vibices ac petechiae, maculae elatae & pustulae sanie repletae cetera-que cutis exanthemata aegrum prehendunt: superveniunt quoque parotides ac bubones, aurium fauciumque apostemata, dolores pedumque gangraena imo anthraces; sed satis infrequenter (*k*). Gravioribus dein nexus symptomatibus subinde in aegrum irruit singultu nimirum, vomitu ac perpetua nausea, funesta diar-

(*a*) LIND., BLANE pass.
(*b*) GRANT p. 24. 141. 147. 149. 172.
(*c*) BLANE 132. 273. GRANT 24.
(*d*) MONRO 136. PRINGLE, BLANE.
(*e*) HEYSH. 14. 57. MONR. 48.
(*f*) BLANE 270.
(*g*) LETS. 81. 94. HUNTER 365. RUSH. I. c. 722. GRANT, MONRO al.
(*h*) BLANE 270. MONRO 45. 84. BROCKL. 139 LETS. 65
(*i*) LIND 291. GRANT 150. WALL.
(*k*) LIND 274. MONRO 19. 50. PRINGL. 351. al. p. 61. cit.

diarrhoea, haemorrhagiis, sudoribus colliquativis, & gravi auditu (*a*). Ceterum haud difficile est perspectu pro varia rerum conditione, scil. vitae generis, aetatis, loci, tempestatis, solidorum denique ac fluidorum ratione, morbum cuiusvis epidemiae in modum, ita complicari posse, ut nunc hoc, nunc illud praevaleat symptoma.

CAPUT XIII.

Extispicia lustrans.

Pauca quaedam momenta de cadaverum inspectionibus subiungere lubet. Quanta subinde exstiterit, huiusce laboris utilitas in abditam morborum naturam lucem fundendo, nemo certe post immortales MORGAGNI labores in dubium vocare audebit (*b*). Dolendum itaque est, quod sive ex contagii metu, sive sub pietatis, aut quovis alio praetextu nostro in morbo plurimum neglecta sunt extispicia. Lugens quoque fatetur CAMPBEL-

(*a*) CAMPB. *66.* MONRO. BROCKLESBY. HEYSH. HUXH. GRANT al.

(*b*) Cf. THIERY *Erfahr. in der Arzn. Wiss.* 83. 90.

LIUS, quod ipsi ambienti denegatae sint cadaverum lustrationes (*a*), Nonnullis secandis operam dedit PRINGLIUS, ea quae ipse oculis perlustravit, & ex aliorum relatione accepit, nobis communicans (*b*). Cerebrum ac cerebellum saepe inveniebat affectum, imo abscessus & puris ac seri accumulationem in cavis cerebri, aliquando etiam in orbitis. Albam praeterea perinde ac cineream cerebri substantiam, inflammatam, flaccidam ac molliorem reperiebat, & aliquando, incolumi cerebro, intestina crassa inflammata. Largam puris collectionem alii quoque in defunctorum cavitatibus viderunt; sed cerebrum, affecto licet gravius capite, permansit incolume, ut tamen vasa essent paulo dilatata. Pulmones sanguine turgentes in gangraenam tendebant. Intestina aliquando ingrati odoris laticem continebant ac vermes (*c*). Corpora dein hocce morbo enecata & BLANIUS dissecuit, sed mancam nimis tradidit sectionis historiam. Sanguinem parum coagulatum magnis in vasis offendebat & cruorem iusto tenuiorem, attactu colliquescentem, subinde intestina fuere erosa, perforata, aut biliosa colluvie imo taeniis obsessa (*d*).

(*a*) L. c. 113.
(*b*) 355. sq.
(*c*) LIND 211. 279. 328.
(*d*) 123. 270. 271.

CAPUT XIV.

Medendi rationem edocens.

A. Prophylaxis.

Curaturo morbum duplex incumbit officium. Vel prophylactica via imminens malum praecavere studet, vel praesenti occurrere. Eius vero sunt, quae primae satisfaciunt indicationi, artis subsidia, ut multa, quae e publico comparari debeant aerario, principum curam exigant; medico in fidis consiliis proponendis subsistente. — Maxima nimirum allaborandum est cura, ut aëris circulatio iuvetur, emendetur, qui factus est impurior, ac omnimodo munditiei habeatur ratio. Omnia hinc loca suspecta, maxime publica aedificia, ad multitudinem hominum excipiendam exstructa, sive sint carceres, nosocomia, xenodochia, seu navigia & castra stativa; porro aedes operariae, ergastula, ludi literarum, orphanotrophea rel. diligenter sunt ventilanda ac libero aëri pervia reddenda. Talium aedificiorum is esto situs, qui undique aëris accessui pateat; quare in amplo & loco sublimi a noxiis paludum effluviis procul remota exstruantur, undanti, fluminis, fieri si potest,

proxima; ne aqua careant ad sordes eluendas, ac ventorum poteſtati obviae aedes saluberrimum utcunque aërem recipiant. Praeterea domicilia circa circum feneſtris, quibus valvae, spiracula, parvique ventilatores adaptantur, cingi; ianuae foramine inſtrui; & feneſtrae ex oppoſito ſitae saepiſſime, &, ni pro cubiculo inserviant illa, totam per noctem aperiri debent; ut ventis eo melius pateant (a). Magnam vero hisce locis utilitatem adferunt ventilatores HALESII (b), ex illo tempore VENTURAE, BEYSERI, inclyti THEDENII (c) ac LENTINI (d) aliorumque ſtudio multo utiliores facti. Haud exiguum quoque praeſtant commodum vela aërea (*Windseegel*) (e) & colubrinae aërife-

---

(a) Cf. Mem. de l'Acad. Roj. des scienc. a Par. 1780. 40. & 1784. 680. CRELL. *chem. Annalen* 1787. *B. II.* 340. PETIT Mém. sur la meill. manier. de conſtruire un Hopital des malades Par. 1774. TENON Mém. sur les Hopitaux de Paris 1788. Mém. V. HOWARD *über Gefängn. u. Zuchthäuser*, *Leipz.* 1780. 71. NAHUYS de qualit. aër. nox in nosocom. & carcer. Harlem. 1770. 117. AIKIN l. c. KRUNITZ. *oekonom. technol. Encyclopädie*, *B.* 47. 139. sq. Rel. p. 584. cit. inv.

(b) Treatiſe on ventilators, Lond. 1758. Vol. II.

(c) *Neue Bemerk. u. Erfahr. in der Wundarzneyk. Berl.* 1782. T. 1. 147.

(d) *Beyträge zur ausübend Arzneywiſſ. Leipz.* 1789. 353.

(e) LIND l. c. 332. PRINGL. on the means for

tae (*Luftschlangen*) (*a*), quae magnam aëris excipiendo copiam infecta probe ventilant loca, sed frigidum tanta vi aliquando aërem impellunt, ut orificiis proximi turbinem perferre nequeant. Sereno dein coelo ac tempestate tranquilla suos recusant effectus, nec tuto nocturno adhibentur tempore. Neque silentio praetereundam duco WILKII machinam, qua unius hominis viribus recens admittitur aër, dum expellitur corruptus, coelo quieto (*b*). Alium sub aëripilae nomine apparatum invenit VENTURA, Suttonianis tubis haud absimilem (*c*). Horum omnium mechanismo, cum propositi fines excedat, nunc describendo supersedeo. Porro pertinent huc fistulae aëreae diversimode conflatae; harum optimas forsan commendavit FORNELL, quarum altera apertura mobili persimilis infundibulo, vento semper adverso est collocanda, ut atmosphaericus impellatur, dum venenatus per alias aperturas eliciatur aër (*d*). Alii ite-

preserving the health of mariners, Lond. 1776. 31. *de* BORY Mém. de l'Acad. des scienc. cf. CRELL l. c. MICHAELIS *med. pract. Bibl. St.* 1. 30.

(*a*) *Sued. Abhandl. Leipz.* 1759. *B.* 19. 3.

(*b*) Ib. ann. 1769. 4.

(*c*) Ibid. ann. 1766. *B.* 28. 297.

(*d*) Ib. 1759. *B.* 19. 3.

rum alias proposuere (*a*). Quem vero tubum ventilantem vocat CERA, calore potissimum, cuius magna vis in dispellendo contagio ab antiquissimis retro temporibus summis laudibus est evecta, is se utilem praestare videtur (*b*). Fumus enim & calor seu rarefaciendo seu venenatas particulas absumendo aërem corrigunt & ab omnibus uno ore nostro in morbo collaudantur. Diu inclaruit *Suttoniana* machina, commoda utpote, simplicissima, omnibus locis accommodata, imo aegrorum cubiculis; dein cum semper agat, legibus physicis sit superstructa, nec magni constet pretii omnibus aliis illam praefert cl. NAHUYS (*c*). Pluris aestumant alii caminos portabiles, qui Nanceii conflantur, exigua cum sint molis, pretii, ponderis, ac perpauci victus (*d*). Spectant huc etiam furni anemii & camini, ventilatorum officio hyberno rite tempore perfungentes (*e*). LINDIUS vero navigia expurgaturus clausis tunc aperturis hominibusque

(*a*) CAMPB. 18.

(*b*) Tract. de febr. carcerar. 84.

(*c*) L. c. 152.

(*d*) *De* BORY *über mittel die Luft zu reinigen in* CRELLS *Annal.* I. c. 360.

(*e*) HOWARD *über Gefängn.* 72. EHMBSEN diss. de aëre corrupt. eiusq. remed. Goett. 1789. §. 59. SELLIER *über mittel die Luft zu reinigen im Leipz. Magaz.* 1781. *St.* 11. BLUMENBACH *mediz. Bibl. B.* 2. 5.

semotis, pluribus in locis ignem exhantracibus, cui herba nicotiana aut sulphur, arsenicum, pulvis pyrius & rudentes adiiciuntur, per triduum saepe, ut fumus omnia penetraret, accendi iussit, cui etiam vestimenta remigumque tegmina exposuit (*a*). Nam frequens ipsi fuit observandi occasio, denso post navale praelium fumo oborto, contagii vim sponte desiisse. Picem alii, aut pulverem pyrium cum aceto in pastam redactum, aut nitrum cum pauxillo sulphuris flammae subiiciunt. (*b*). Sunt, qui carceres, locaque suspecta acido salis olei vitrioli ope evoluto, quod *de* MORVEAU commendat, quotannis solicitare imperent (*c*). Tandem fumus iuniperi, lauri, pinus silvestris, laricis, cortic. cascarillae, aliaque fragrantia, ac inodora huius sunt fori. Acida vero cum vegetabilia tum mineralia multi haud impigra manu circumspergi iubent, putridi miasmatis vano seducti, metu quae quidem miasmatis odorem sed non eius energiam infringere valent (*d*). Alii fumo ignem effi-

R 4

(*a*) L. c. 228. sq. BLANE 200. CAMPB. 44.
(*b*) BLANE ibid. LIND 139.
(*c*) CRELL l. c. 348. BLUMENBACH l. c. 9. HAGEN l. c. 175.
(*d*) HUNTER. l. c. 359. DAY 52. THEDEN l. c. 148.

caciorem putantes in abigendo contagio, omnes res infectas pro tempore ardenti committere fornaci auctores sunt (*a*). Ignis vi & magnus dux COCKIUS in itineribus contagium coërcuit. Magnam hodie ad illudendam nostri contagii vim aqua calcis famam obtinuit (*b*). Machinas vero excogitavit ingeniosus DAY, huic scopo convenientes, quarum unius ope aqua calcis, pluviae instar, in infecta depluit loca, & in excipulum delapsa iterum subducitur. Alii vaporem aquae fluidae eam iuxta aestimant (*c*). Magna quoque ex dephlogisticati aëris usu dictis in locis exspectare licet e magnesia nigra (*d*), vel ex plantis solis calore evoluti in corrigendo aëre, quippe, quae, facem praeferentibus PRIESTLEIO & INGENHOUSZIO, phlogisticatum absorbent aërem, dum dephlogisticatum exspirant. Nullum denique sanos ac inter aegrotos intercedat commercium, singulos suo lectulo detinendos. E carceribus dimissi, capti, transfugae adhibito

---

(*a*) CAMPB. 47. HOWARD 45. ALDERSON 90.

(*b*) ALSTON on quiklime and lime water Lond. 1750. DAY 39. CAMPB. 24. 49. ALDERSON 77. 83. HOWARD. GEHLER Prog. de var. aërem corr. emendandi mediis, Lips. 1781. 11.

(*c*) ALDERSON l. c. 71.

(*d*) SELLE *Beytr. zur Natur. u. Arzneiwiss. B.* 3. 1. VOGEL. *B.* 2. 430.

non nisi balneo, mutatis vestibus, aut iis igne, fumoque probe sollicitatis, in publicum prodeant & in navigia recipiantur. Vestitus cubiliaque libero aëri saepius pervia reddenda, defunctorum abiicienda. Parietes, lacunaria & pavimenta huiusmodi locorum diligenter sunt mundanda, radenda, lixivio saponaceo vel aceto abluenda, & nova calce obducenda ac munditie strenue culta, ne detrimenti quid capiat aër, sedulo praecaveatur. Sed abripi me video obiecti amoenitate, quod pro dignitate tractandum vires & libelli limites exsuperat. Exactiorem, quem habere iuvat, de remediis contagionem amolientibus, de cautelis ea exhibendi, cognitionem, illorum scripta, qui rem dato studio pertractarunt, evolvat.

B. Cura radicalis.

Ad alteram & gravissimam quidem in curando morbo nunc delabor partem, ea artis praesidia lustraturus, quae praesenti malo medicinam faciunt. Cum autem, ni aëris integritatis ac munditiei ante omnia habeatur ratio, nulla sit salus in morbo, ut utrisque prospiciatur, si voti compos fieri velit naturae minister, ipsi curae cordique sit. Prima, quae sese diiudicanda offert, quaestio *num*

artificialis phlebotomia nostrae febri conveniat nec ne? diu est agitata; cum alii illam in morbo proscribendam (*a*), alii aliquando saepius reiterandam esse censeant (*b*). Media hic certe incedendum est via, virium ac symptomatum ratione habita. Morbi vero decursum attento animo perpendens, febrem neque largas, neque iteratas V. S. aliasve evacuationes temere institutas ferre posse, facillimi perspiciet. In iuniori itaque ac decrepita aetate, cacochylia, laxiorique corporis habitu perraro locum inveniet: multo minus, si pulsus parvi debiles, virium imbecillitas aut putrida peccat diathesis. Quod si vero non desint plethorae signa, aetate floreat aeger, bono corporis habitu gaudeat, pulsus magnus, durus, aut parvus ex nimia humorum abundantia mentiatur, oppressumve, saeviente interea capitis, lumborum artuumque dolore cum sanguinis orgasmo, magnum tunc in V. S. habetur remedium. In phlogistica demum humorum diathesi, topicaque interiorum partium inflammatione sanguinem mittendi urget necessitas, nullo morbi stadio postponenda (*c*). Sanguis

(*a*) HEYSH. 58. WALL 11. CAMPB.
(*b*) GRANT 148. 177. 156. 64. 29.
(*c*) BLANE 278. 280. MONRO 23. 40. GARD. 218. PRINGLE 362. GRANT 29. 60. LIND.

ceterum, ni gravius flagitet symptoma, ut ipsi succurratur, cauta & avara usque detrahatur manu, & si fieri potest, inter morbi initia. Nam prudentis est, non solum videre, quae ante pedes sunt, sed & futura prospicere. Saepe enim altera aut prior sanguinis missio iusto largior vires adeo deiicit, ut nulla arte erigi queant, ut cuncta mox in peius ruant symptomata. Cum vero eiusmodi evacuationi ferendae vires sint impares & symptoma capiti forsan aut pectori inimicum, opem petat, minoribus & vasculis tutius elicietur sanguis, cucurbitulis pectori, nuchae, dorso &c. incisa cute defixis; hirudinibus pone aures, ad tempora alibive admotis, aut partium sacrificationibus tentatis, quod quidem longe facilius ipsa fertur venae sectione.

Peracta aut omissa phlebotomia ad *emeticum* transire, omni omnes decernunt suffragio. Morbus enim, cum e contagio sit ortus, miasma gastricis mixtum liquoribus, inspiratione, aut quavis alia ratione corpori advectum emetico protinus expellere medicamento, optime est visum. Maxime autem requiritur, cum infectionem in se persenserit aeger, aut virus ventriculi nervos vellicando, aut per consensum afficiendo, nauseam, vomendi conatus, utilemve aut inanem producat vomitum. Nec minorem adfert utilitatem,

si gustus & appetitus depravati, vertigo, hypochondriorum oppressio, sordida lingua, aliaque prim. viar. officinam multa scatere saburra sursum turgescente, fovendo ac morbo sustentando maxime idonea, signa edocent. Tanta autem, quae efficacissima febris antidota vocat LINDIUS, est emeticorum utilitas, ut saepe morbi curationem plane absolvant, imo ipsi vomendi conatus (*a*). Commodum vero ex illorum usu in aegros redundans in eo potissimum nititur, ut impuritates veneno forsan imbutas sursum, aliquando deorsum simul eliminent, excretiones adiuvent, totumque corpus concutiendo cutaneos poros spastice plerumque occlusos reserent, & diaphoresin restituant. Exulent vero, viribus deiectis in magna sanguinis congestione, viscerumque inflammatione. Si vero sordes p. v. inferiora petunt, aut obstipata alvus congestiones adauget, aut stasis inflammatoria aliaque vomitoriorum usum reddunt suspectum, caute recludenda est alvus, eccoprotico salino tamarindinato aut rhabarbarino hunc in finem exhibito (*b*). Oleosa prae ceteris arrident, oleum scil. ricini bonae notae, amygd. dulc., olivar. quae

(*a*) BLANE 277. LIND pass. GARD. 211.
(*b*) MONRO 24. PRINGLE 363. BLANE. WALL. HEYSHAM. 47. LIND. 253. GRANT 82.

acrimoniam involvendo, fomitemque mali demulcendo leni educunt modo. Drasticam vero alvi purgationem, animi deliquia, virium iactura, alvi profluvium, aliaque finistri omnis haud raro excipiunt symptomata. Egregia quoque ab *enematum* usu sperare licet, quae, cum alvus obstructa cephalalgiam & delirii incrementum pariat augeatve, ac quietis defectum, sordes eluendo ac derivando, aestum ac humorum orgasmum superiora versus coërcent. — Paucis nunc expedire. Quid de *diaphoreticis*, plurimum in febre collaudatis, sit statuendum, meum est. Fuere, qui ob summam contagii subtilitatem quamocius sudoribus excitatis in fugam vertere venenum, auctores essent, salvis adhuc humoribus. Et magnas profecto laudes merentur haecce pharmaca, iusto exhibita tempore. Primo nimirum morbi insultu in neoinfectis, praemisso emetico, ipsis enitendum est, ut aucta transpiratione exhauriatur omnis mali fomes. Antimonialium hinc tartari scil. emetici, pul. ver. Iacob. & vin. antim. Huxhami summa est laus ac dignitas (*a*). Blanda enim stimulandi ac resolvendi, qua pollent, virtute, epicratica illorum exhibitione ita augetur circulationis vis, ac

(*a*) Auct. mod. cit.

solvuntur humores, ut facile per cutim consequatur excretio. Tartarus dein emet. in ventriculi nervos titillatione se & excretiones leniter promoventur, abnormes sedantur motus, refracta dosi antispasmodici officio irritando optime perfungentis. Quo melius ad cutim determinetur eius vis, ac paululum refringatur stimulandi facultas, leni opiato admixto, sopiuntur sensus. Praestans porro evadit medicamentum spirit. Mindereri; cuius diaphoretica ac leniter irritans virtus in tollendo vasorum capillarium spasmo magni in febre aestimatur. Camphoram dein prudenti administrare manu, si nec cacochylia, nec phlogistica humorum diathesis peccent, e re quoque erit. In illo autem calidiori regimine frequens potatio calidi potus leniter spirituosi v. c. seri lact. vinos. acetat. infus. herb. aromatic. haud negligenda est. Tepor denique lecti, balnea tepida, semicupia nec non singularium partium fomentationes liberiori summe favent transpirationi; nam omnia haec fibras vasaque relaxando diluendo, spasmos sedando, suave potius refrigerium ac aestum inducunt & perspirationem Sanctorianam mire iuvant. Sunt etiam, qui diaphoretica calidiora, theriacam scil., salia alc. volat. & alexipharmaca varii generis inter morbi initia e re duxerunt exhibenda. At stimulante hac methodo, profusi eliciuntur

sudores, aegri vires ad incitas rediguntur, imo provocantur exanthemata! Blandi enim sint sudores, aequaliter per corpus diffusi, nec nimii aut conclavium calore, aucta ſtragulorum mole vel exaeſtuante expreſſi regimine (*a*) —.

Inter praecipua artis adminicula noſtra in febre militant *cantharides* exterius adhibitae in capitis artuumve doloribus, praegreſſis evacuationibus, illico applicandae. Torpente autem vi vitali aut vitalis laticis circuitu circa caput commorante, quid admotis cuti cantharidibus ad illam excitandam & ad hunc derivandum erit praeſtantius, quid ad revellendum expeditius, quid satius? Nititur potiſſimum illorum effectus lege revulſionis, nam ſtimulo suo exteriora versus alliciunt humores, spaſticas sedant affectiones, cutanea reserant vasa, ac solidum vivum excitando fluida inter ac solida reſtituunt aequilibrium. Capite gravius affecto, capillatam partem emplaſtro e canthar. conflato, resectis crinibus, quidam tegi iubent, felici de eventu pluries obtento, a nonnullis licet denegato (*b*), confisi (*c*). Laterum

(*a*) BLANE 283. HUXH. T. 2. 22. GRANT 37. 57.
(*b*) PRINGLE 376.
(*c*) CAMPB. 72. 79. HEYSH. 53. BLANE 285. HUNTER 364. al.

ſi infeſtet dolor, affectum obtineant locum. Quibus adhibitis omnis haud raro aufugit dolor, redit mens alienata. Cum vero ardor, ſitis ac deliria increbruerint, oculorum vigor evanuerit, & langueat aeger, tremore aut ſtupore correptus, tunc infauſta brevi haecce aliaque saepiſſime removent symptomata (*a*). Valide quoque languentem vim vitalem revocant *ſinapismi*, humorum versus superiora orgasmum compescunt, aliaque, ut epispaſtica, haud minora adferunt commoda. — Divinum autem illud remedium *Cortex Peruvianus* detritas aegri vires roborante pariter ac excitante sua virtute mire reficiens saepius efficit, ut viginti quatuor horis praeterlapſis, ad meliorem iam redeat frugem aegri valetudo. Qui vero fructum inde percipere cupit, illum ea exhibeat quantitate, cui ferendae par ſit ventriculus, ut tamen alvi fluxus, quem forte excitet, anodyno cohibeatur (*b*). Nil quidem praeſtantius ac efficacius pulvere corticis, quodſi autem illum faſtidiat aeger aut respuat ventriculus, decoctum saturatius, infusum, extractum, elixiriumve subſtituatur. Corticem vero

(*a*) LIND 252. 193. 243. 250.
(*b*) BLANE 288. HUNTER 360. CAMPB. 68. HEYSH. 49. LETS. 97. al.

ro exhibiturus, prius investiget, num quid obstet, quod largiorem prohibeat usum. Nam vsorum plenitudo, quae insignior est, sordes prim. viar., congestiones, ferox delirium, lingua arida, calor & siccitas cutis, & inprimis stases viscerum inflammatoriae, chinae usum valde suspectum reddunt. Sed in pulsus viriumque debilitate nec deliria, nec pulsuum velocitas, nec os, cutisve sicca, anhelosa respiratio, aut continens febris ab illo deterreant, ubi tamen in connubio antimonial. salium ac vini praeberi potest (*a*). — Tantam vero famam nostro in morbo nactus est *papaveri succus*, quantam vix ullum aliud remedii genus, omni febris stadio conveniens. Diaphoretica enim & antispasmodica vi non raro morbum quasi in incunabulis iugulat. Praestans haecce medicina cum camphora, antimonialibus connubia init, aut in pulvere Doweri & fluida demum forma propinatur (*b*). Maxime inclaruit, opium in morbi fastigio, ubi tantum abest, ut narcotica & stupefaciente vi morbum adaugeat, viriumque lapsum, ut antispasmodici excitantis imo roborantis fungatur

(*a*) BLANE 288. LETS. 10.
(*b*) WALL 22. CAMPB. 94. BLANE 289. WHITERS 299.

officio. Duo nempe ipsi insunt principia, sedans alterum, alterum excitans; hoc citius, illud serius vires in corpus exserit (*a*). Cum itaque maxima debilitas, sitis ac constans urgeat delirium, inquietudo & somnolentia fessa teneat membra, aut vivida terreant insomnia; porro si aeger stupet, dolor capitis desaevit, tremores ac spastici superveniunt affectus cum pulsu parvo, celerrimo, ita ut aeger vinum corticemque respuens succumbere videatur, tunc liberior sed prudens opii administratio praesens saepissime adfert auxilium (*b*). Anxietatem enim & animi abiectionem in hilaritatem placidamque convertit quietem; dolores levat mentisque alienationes, cordis vires & arteriarum erigit & stimulo suo in nervos subito mutat morbi faciem. Si vero parca nimis manu distribuitur, infringendae vi morbi multo inferius incrementum potius ac symptomatum decrementum efficit. Triginta ad sexaginta guttulas tinct. thebaic. versus decubitum alii porrigere solent, & eandem potionem, si deliria, sitis ac cephalalgia proxima non remiserunt luce (*c*). Alii illud alia exhibent ra-

---

(*a*) LETSOM 109. WHITERS l. c. 290. MAHERR l. c. T. 3. 414.

(*b*) CAMPB. 78. sq. BLANE 290. HEYSH. 56. WALL pass.

(*c*) CAMPB. 94. 96. HEYSH. 56.

tione (*a*). Nunc vero exulent antimonialia (*b*), & opiata, vel per se vel variis nupta excitantibus, v. c. aether. vitriol., liquor. anod., spir. volat. arom., serpentar. aut castor. & camphor. largiuntur. Caveas dein, ne egregio abutaris medicamento, cum eadem fere, imo maiora, quae corticis, & opii sint cautelae (*c*). — Ceterum & alia huic morbi periodo ex excitantium classe remedia sunt convenientia, infus. serpent., contrai., moschus, castor., salia volatil. & phosphorus forte, ac ingens denique spirituosorum suppellex. — Summum vero excitans in febre *vinum* evadit, si tanta hauriatur copia, quanta viribus aegri refocillandis inserviat. Cum vero vini inter ac opii virtutes singularis intercedat affinitas, nec ullum morbi symptoma opio amicum, vino sit inimicum, vinum substituat, qui ex largiori papaveris usu noxas timet, aut si votis non respondet. Ventriculo vinum non ferente & acidum eructante, aquam spirituosam aut spiritum vini nonnulli ipsi subministrant (*d*). — Inclytum denique in febre

(*a*) WALL 35. 50. BLANE 290.
(*b*) WALL 23. CAMPB. 75. BLANE 289.
(*c*) BLANE ib.
(*d*) CAMPB. 70. 76.

innotuit remedium nulli fere aequiparandum, *frigus* scil. *exterius corpori admissum* (*a*). Incredibile dictu! quantum eius ope valebat LETSOMIUS, quantaque celeritate gravissima morbi symptomata frigore & cortice in fugam vertebat! Aegros enim e lectis exemptos liberoque aëri hyberno tempore saepius expositos aut portis fenestrisque cubiculi reclusis, quamcelerrime sanitati restituit. Quo maior vero debilitas obtinet, eo potentior est frigoris vis, certo applicata gradu summe excitat nervosam vim languentem ac fibras vasaque roborando spasmos e medio tollit (*b*).

Agmen claudunt, quae *de symptomatibus morbi anomalis* restant dicenda. Evenit interdum, ut *nausea* aegros *perpetuusque* exerceat *vomitus*. Symptoma hoc a spasmo utplurimum proficiscens, anxietatem viriumque prostrationem inducens inclita RIVERII potione haud raro coërcetur, in effervescentiae actu degluțienda. Cui ni cedat, opiata aliaque substituantur antispasmodica ex-& interna cumprimis ventriculo grata (*c*). Neoinfectos vero invadens ille affectus ad salutifera naturae

(*a*) LETSOM. 15. HEYSH. 40. GRANT 138.
(*b*) ARCH. CULLEN diss. de frigore rec. in thes. diss. Edin. l. c. 183. 186. GREGORY *theoret. Arzneywiss. B.* 2. 103. 239.
(*c*) MONRO 61. CAMPB. 73. 104.

conamina, fomitem mali eiicere studentis, referri meretur, impia numquam cohibenda manu. Magis habetur suspecta *diarrhoea* primitiis morbi accedens. Provectiori eius aetati superveniens utcunque ferme habetur periculosa. Anodynis hinc diaphoresin simul augentibus opiatis, vino, spirituosis, & involventibus incipienda curatio, progrediendo ad tonica; si lenioribus obtemperare nescit impetuosus affectus (*a*) — *Spasticae* quae in morbo eminent *affectiones* v. c. singultus, tremores, tendinum subsultus rel. castor., mosch., pauxillo camphorae iuncto aut tinct. spirit. feliciter nonnumquam superantur. Tumores critici, bubones ac parotides quantocius ad suppurationem ducendi & aperiendi sunt. — Ingens, quae diu plerumque remanet, virium imbecillitas excitantibus ac roborantibus debellanda est, protracto nimirum corticis usu, lign. quassiae, vini, elixir. vitriol. alior. Collaudant quoque asam foetidam inerti utut ventriculo maxime gratam, nec febre plane sublata impune exhibendam, utque placidus fessis concilietur somnus, dormituris sopiens ex opio paratur medicina (*b*). Quibus conve-

(*a*) HEYSH. 54. CAMPB. 70. GRANT 115.
(*b*) BLANE 293. PRINGL. 378.

niens & nutriens quidem accedere debet diaeteticum regimen. — Reliquis, quae superveniunt symptomatibus, a consueto morbi decursu abludentibus v. g. tussi, cephalalgia, haemorrhagiis, aliisque modo allatis pro viribus succurrendum, si propter vehementiam artis opem invocant.

Vivendi denique ratio morbi stadiis sit accommodata, necesse est. Persistente febre, si appetat aeger, cibus sit parcus, parum nutriens, ori gratus, e vegetabilibus potissimum mucilaginosis, uti sago, decoct. aven., hord. decort. al. conflatus (*a*). Pro potu utatur vino aqua diluto, limonada, cerevisia bonae notae aut potu acidulo. Abstineat a victu crudo, carne, ab omnibus demum, quae non rite digeruntur. Reconvalescente aegro, diaeta sit tenera, enutriens, eupepta, frequentiori quidem sed parciori distribuenda manu (*b*). Animus aegrotantis esto compositus, futuri immemor nec vanis distractus querelis; procul absint adstantium turbae, &, qui illum reddunt inquietum, vociferantium clamores (*c*). Sit mens hilaris, laetae spei aura eventus felicis fota, nec anxiis agitata curis, sua sorte usque contenta.

(*a*) HUNTER 360. HEYSH. 51. CAMPB. 68.
(*b*) BLANE 294. BROCKL. 155. HEYSH.
(*c*) LIND. 263. HEYSH. 42.

OPUSCULUM IX.

IOANNIS MARTINI LANGENBECK

MEDICI HORNEBURGO-BREMENSIS

PARADOXA MEDICA

Anno MDCCXCVIII. Ienae edita.

PRAEFAMEN.

Seculum XVIII. quo vivimus, pene adfectum & consummatum eſt, funeſtiſſimi belli ſtrepitu, hominum caede ac clade flebili, populorum rapinis & praedationibus, terrarum vaſtationibus, rerum novarum ſtudio, opinionum commentis, internecino regum nobiliumque odio, rerum publicarum excidio, aliarum converſione, novarum fundatione, iuris gentium recepti, legum avitarum auctoritatisque regalis abolitione, civibus longe triſtiſſimum, poſtgenitis in aevum memorabile. Populis aliis data eſt libertas, fraternitas & aequalitas, aliis libertas in perpetuum erepta, servitus reddita, etiam commendata impenſius humanitas, ſcripta ſunt iura hominum nova,

deleta privilegia, reddita & resumpta aurea poetarum secula. Ecquid nobis maius & praestabilius ad veram felicitatem stabiliendam & firmandam Superorum voluntate dari porrigique poterat? Credimus dictis, assentimus speciosis & probabilibus argumentis, fallimur callidis verborum lenociniis, quaerimus nova bona, perdimus vetera, sed bene parta cupiditate habendi: Accidit nobis quod cani in fabula. Redit novus rerum & opinionum ordo: Faxit Deus feliciter! Iurgia iactant eruditi, novas cogitandi, credendi vivendique regulas scribunt, aliter sentientes alto spernunt supercilio, lucem tenebris obiiciunt, invitis obtrudunt. Utinam lux oblata semper benigna sit, vitae beatae apta, iniquitate sceleribusque libera!

Neque vero Medici torpent ac dormiunt, cum talis tantaque lux universo mundo affulgeat. Facti sunt intelligentiores & perspicaciores scilicet! Posito praeiudicio, spretis maiorum patrumque opinionibus, utuntur libertate sentiendi, docendi & scribendi reddita, more Theologorum missos faciunt libros symbolicos, quos scripsit antiquitas, rumpunt vincula, excutiunt iuga imposita, sibi sapiunt, sibi plaudunt scilicet. Haec demum est vera libertas, sub finem seculi revocata & omnibus restituta! Non pendemus amplius ab ore

magistrorum vetera somnia & deliria profitentium, nullius auctoritati adsurgimus, neminem veremur: Non datur codex doctrinae medicae omnibus scriptus seculis. Scribit humano corpori leges secundum affinitatem & misturam Chemicus, appellat alius organismum, alius vim nervorum & vitae, negat iterum alius: reiicit & damnat Pathologus novus vetera nomina, materiam peccantem, acrimoniam, errorem, metastasin, crisin & ipsa naturae molimina: Absurda sunt somnia scilicet! Redit ergo novus caussarum morbificarum & ipsius medicinae ordo, nova traditur pathologia sub Auctore BRUNONE atque adseclis strenuis, WEIKARDO, FRANK, ROESCHLAUB cet. Iam facillima praxis est, adstricta quasique alligata soli debilitati directae & indirectae, methodus ergo medendi inventa in perpetuum est certissima. Morbi sunt sthenici & asthenici, ergo remedia sine labore multo in promptu sunt. Dempta caligine, reddita caecis Medicis post multos variosque errores vera curandi ratio est, sed etiam data multiplex rixandi disputandique materia. Quid ergo mirum, si ego, ad metam artis medicae delatus, dubius haeream, ut HERCULES in bivio positus, & anceps nesciam, quid in medicina theoretica certum sit, quid in practica sequendum & adhiben-

dum esse videatur? Acriter disceptant Medici veterani, & adhuc sub iudice lis est. Liceat ergo mihi, summos in medicina utraque honores ambienti, ex instituto maiorum eligere materiam & viribus, & tempori aptam; liceat scribere *paradoxa medica*, eoque nomine comprehendere, quae nuper in medicina nove dicta & scripta sunt, aliis plaudentibus, aliis refragantibus & confutantibus. Certe mihi haec videntur ita esse comparata, ut, utra in parte sit veritas, nondum definire possimus. Insunt multa, quae probabiliter & ingeniose dicta censeas, vera & omni exceptione maiora minime.

I. *Organum animi*.

Pervetus est Philosophorum dissensio & varia disputatio: dentur animi hominum, nec ne, materiae expertes & immortales sint, an fluxi & cum morte corporis perituri, & quot capita, tot opinionum commenta litteris prodita sunt. SOCRATES in Phaedone probabilem esse animorum perennitatem statuit, perhorrescendum videri interitum. Recreat CATONEM (*a*) senem cogitatio immortalitatis,

(*a*) Cic. De Senect. c. 23.

neque persuasionem suavissimam animos hominum immortales esse sibi extorqueri a Philosophis voluit. Inest cuique bono talis futuri praesensio, quae hominem sperare post fata iubet praemia vitae bene actae sceleribusque purae. At vero non defuerunt inde a prisca aetate Philosophi & Medici, qui animum nec simplicem esse, sed materiae participem, eum ergo cum corporis morte exstingui & interire posse contenderent, usi argumentis speciosis & probabilibus. Nuperrime ipsi Theologi dubiam esse animorum immortalitatem audacter professi sunt, neque ullo modo ex sacris litteris demonstrati posse superstites fore animos, neque certam esse traditionem, CHRISTUM nostrum mortuum in vitam meliorem & locum Divinae Naturae rediisse. Quod si verum est & omni exceptione maius, doleo hominum sortem, quibus sophistica disputandi ratione spes omnis demitur, & post multas miserias ipsa illa vita rapitur, quae sola vita est nominanda. Meliorem viam mihi ingressus esse videtur CATO (a) senex, cui *nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere, cum exissent ex iis, emori, nec vero tum animum esse insi-*

(a) L. c.

pientem, cum ex insipienti corpore evasisset, sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus & integer esse coepisset, tum esse sapientem cet.

Etiam disputatum est *de sede animi*. Qui si datur corpori admixtus & consociatus, alicubi eum residere verosimile est. Si ab effectis colligas ad locum, dispersus propagatusque per omne corpus esse videtur; sensus enim nervorum, sine quo animus efficiens nec esse, nec cogitari potest, ubique se prodit, sed in intimo cerebro, tanquam in adyto, definit (*a*). Si spectes sensus stricte tales, tactum, gustum, olfactum, visum, auditum, initium quidem fieri cernimus in certa parte, finem vero esse in intimis cerebri, quo affecto vel laeso, illa sensus instrumenta vel abolentur omnino, vel per consensum hebetiora & imbecilliora ad tempus fiunt. Haec sine dubio caussa fuit, ut & Philosophi, & Medici commune sentiendi instrumentum in cerebro esse statuerent, pauci, v. c. UNZERUS (*b*) &c. negarent, alii, v. c. BON-

(*a*) Videat benevol. Lector, quae in *Annotazioni medico-pratiche sulle diverse malattie trattate nella Clinica medica di Pavia; Parte I.* §. *XXIV. pag.* 15. fusius asserere mihi occasio data fuit (*Editor*).

(*b*) Erste Gründe der thier. Physiologie §. 20. & 25. p. 34--40.

NETUS (*a*), tantum aliquam cerebri partem animo vindicari posse censerent. Quae vero illa sit, haec quaestio erat perardua & definitu difficilis; hoc unum videbatur probabile, locum, in quo lateat, esse eum, quo nervi confluunt quasique coeunt. Tunc vero iterum quaeritur, quinam prae aliis sit. Glandulam pinealem, corpus callosum & striatum, septum cerebri, centrum ovale, cerebellum, pontem, corpora quadrigemina, thalamos nervorum opticorum & medullam spinalem nominant haud contemnendi Auctores, cl. SOEMMERRING (*b*) cruribus cerebri iura sua vindicat, sed ita, ut sibi ipse non constet, & parvam medullae cerebralis partem haud sufficere constituendo communi sentiendi instrumento contendat (*c*). Quanta, quaeso, opinionum congeries, quae Anatomicorum & Physiologorum deliramenta! Animus ergo inclusus variis locis est, vel ubique est, per omne corpus diffusus quasique in partes divisus. Quantum est in rebus & coniecturis doctorum hominum inane!

Nuperrime idem ille SOEMMERRINGIUS (*d*) negat hanc sedem quaerendam esse

---

(*a*) Opp. T. V. p. 2.
(*b*) Hirn- u Nervenlehre §. 45. seq.
(*c*) Ib. §. 98.
(*d*) Ueber d. Organ der Seele S. 35. f.

in parte solida, ut communis fert opinio, magis in fluido, quod ineſt ventriculis cerebri (*a*). Credit ergo ſibique persuasum habet latere in humoribus vim quandam vitalem, quae animet & in motum cieat solida, hoc fieri cum maxime in cavis cerebri & motum iſtum ex nervorum fine per se tranſire velutique propagari in humidum, quod ventriculis cerebri continetur. Ego vero cum pace cl. Viri non poſſum aſſentire ac subscribere opinioni novae, quae solis nititur coniecturis. Dari poſſe vereque eſſe in sanorum hominum ventriculis aquam quandam, ex parte conceſſerim, cum cava ipsa gaudeant vaſis exhalantibus, sed quid inde sequitur, niſi hoc, fibrae cerebri solidas egere quodam humido, ut recte fiat sentiendi cogitandique actio? Eſt ergo aqua habenda pro materia quadam intermedia (*b*), ſine qua sensus nullus eſt, sed quomodo hinc colligi poſſit aquam eſſe ipsam sedem animi, equidem non satis

(*a*) Hanc vero quam tribuitur ill. SOEMMERRINGIO opinionem celeberrimus quondam Anatomes cultor *Caesar* ARANTIUS Bononienſis anno 1595. evulgavit, uti iam in opere citato, §. XXVI., pag. 17. veritatis gratia, & Italicae Nationis honore exponere exiſtimavi (*Editor*).

(*b*) Ipse Auctor dicit, *das vereinigende Mittelding iſt die Flüſſigkeit der Hirnhöle*.

perspicio. Fuere maniaci (*a*), quorum cerebrum post mortem esset praesiccum, fuerunt etiam, in quibus esset nimis molle ac fluxum, hinc coniectare licet, animum vigere ac agere non posse sine admixto vel superillito humido, minui ac prorsum tolli, mutata humidi forma, id est, si nimis vel adfluat, vel minuatur. Sin vero humidum constituit originem & sedem animi, mirum profecto est, iuvari & laedi ab eadem caussa posse. Id quod affirmat vetustissimus Auctor, HIPPOCRATES (*b*), vel quisquis libelli Auctor est, & caprarum epilepticarum exemplo abunde docet, quorum *cerebrum*, si insecatur, *humidum*, & *sudore redundans*, & *male olens* deprehenditur. Si animus immergitur aqulae Naiadum more, sequitur, ut semper adsit aqua in cerebri ventriculis. Iam vero in hominibus recens decollatis & adhuc calidis alii Anatomici inquisiverunt in ista cava, nec repererunt quidem guttulam, ideoque non male colligimus, aqua cum in vivis adsit, eam nequaquam esse animi sedem dicendam. Fac vero, cerebrum puerorum egregie sapientium paullo humidius esse, aquam cerebri ventriculis inclusam te-

---

(*a*) GREDING Verm. med. Schrift. Altenb. 1781. & LUDWIG. Adversar. medic. T. 1. n. 2. p. 211.
(*b*) L. De morb. sacr. p. 307. ed. Foes.

nuiorem, mobiliorem & actioni naturali aptiorem, quae hinc derivari possint, non habeo: Enim vero solam aptitudinem maiorem ostendunt. Cetera, quae scribuntur, sunt mere coniecturalia, neque ad stabiliendam coniecturam refert, quid THALES Philosophus somniarit, quid alii de vi vitali fluidis insita pronunciarint vel cogitando anticiparint. Haec enim ipsa pro coniecturis sunt, neque possunt pro fundamento novae opinionis certo haberi.

Restat alia, eaque probabilis coniectura, quam scripsit summus seculi nostri Philosophus, KANTIUS (*a*), ut firmiorem certioremque faceret SOEMMERRINGII sententiam. Pro mechanica sensus communis sede adhibendam censet organisationem quandam dynamicam, principiis chemicis superstructam; negat contra cl. HARLESIUS (*b*), & recte contendit, hanc iterum niti quadam coniectura, neque probari unquam posse eam esse vel veram, vel fugacem, ideoque obscuram rem per aliam aeque obscuram explicari debere, ergo non dicendum esse falsam esse & principiis chemicis adversam actionem aquae cerebri ventriculis inclu-

(*a*) Ap. SOEMMER. l. cit. p. 84.
(*b*) Beyträge zur Kritik d. gegenwärtig. Zustand. d. Arzneywissenschaft. 1. Stück. S. 133. f.

inclusae, quatenus continua decompositione consistere debeat, hinc fieri nullo modo posse, ut ista aqua sit animi organum. Nihil ergo relinquitur, nisi hoc, vanum & irritum esse in opinione improbabili mutuum aliorum adiutorium.

Missis ceteris confutandi argumentis, miror Philosophorum arrogantiam, Medicorum in affirmando audaciam, qui, cum nesciant, animus sit, nec ne, simplex, an compositus, admixtam materiam habeat, nec ne, volunt tamen animo adsignare locum certum & immutabilem, in quo, tanquam in carcere, inclusus per omnem vitam haereat. Etenim animus, si immortalis & caelestis est, ut prudentiores Philosophi & Medici profitentur, non potest habere in se quidquam materiae, dispar sui atque dissimile, nec principium motus in fluido esse, cum se ipsum animus moveat, neque dividi posse, quia partibus non constat, nec diffundi ac diduci per omnes corporis partes, vel alicubi conclusus latere, quia hoc materiae proprium est. Sin vero animus materiae consors est, ideoque mortalis, cum materiae contraria sit aeternitas, equidem scire aveo, quomodo ei describi possit locus proprius, in quo, tanquam domo sua, commoretur, quomodo inesse materiae aquosae possit tanta celeritas, ut animus inde illico

cieatur in motus varios & incredibiles, & raptim apprehendebat, quae sola cogitatione consistere videntur. Haec vero non conveniunt humido; ergo non potest isthoc humidum, quod ventriculos cerebri alluit, pro animi domicilio haberi.

II. *Vis vitae.*

Hominem vivere colligimus ex variis animi corporisque motibus, vim vitalem partibus corporis insitam inesse hinc conjectamus, quod irritamentis externis ac internis afficiantur & in motus cieantur, quiescere, sicubi absint stimuli, imminui & prorsum tolli, si aptitudo recipiendi stimuli vel paullum infracta, vel prorsum sublata est. *Vitam* ergo quaerimus *in solidis* repositam, etsi non desint Auctores magni nominis, ALBINUS (*a*), PLATNERUS (*b*), METZGERUS (*c*), VAN MAANEN (*d*), BRANDISIUS (*e*), SOEMMERRING (*f*), OSIANDER (*g*) cet. qui

(*a*) De Natura Hom. §. 51.
(*b*) Quaest. physiol. L. II. p. 179.
(*c*) Exercit. anat. p. 147.
(*d*) Diss. de Absorpt. solidor. L. B. 1794.
(*e*) Von der Lebenskraft S. 16.
(*f*) L. cit.
(*g*) Neueste Denkwürd. B. I.

fluidis eam vim unice adscribant. Habent singuli sua argumenta, quibus opinionem novam confirmare ac stabilire audeant: ego vero, quae vis vitalis in aqua ceterisque fluidis inesse possit, mihi animo fingere non possum. Vis enim vitalis requirit insitam quandam agendi potentiam, quae, admoto stimulo, possit, ut ignis ex silice, evocari & in actum pervenire, fluidum vero quodcunque per se sine solidis nec mobile, nec agile esse solet: pendet ergo ab incitamento extra posito & applicato; ideoque mihi habere videtur, si quid largiendum affirmantibus sit, vim passivam, ut recentiores Medici, morbos activos & passivos statuentes, nominant, etsi quae vera notio verbo subiecta sit, equidem non satis video. Mihi enim pati & agere videntur esse opposita.

Neque vero de hoc solo disceptatur, sed etiam *de natura & sede vis vitalis* propria. Si vita hominum est unica, videtur etiam vis illa, unde vita pendet atque dimanat, una putanda esse. Iam vero alii adsumunt plures virtutis vitalis formas, *contractilitatem*, *irritabilitatem* & *sensibilitatem*, easque ita distribuunt, ut cuique visceri, quatenus actum ostendit, vitam propriam & stimulos proprios sive specificos attribuant, quasique in infinitum multiplicent. Sed nervis sensum inesse

negant Viri clarissimi REIL & ROESCHLAUB (*a*), animoque soli adscribunt, ambigua ergo reddunt placita physiologica & pathologica, huic sumtioni, tanquam fundamento superstructa. Cadit ergo & ipsa irritabilitas specifica, idest, vita organi propria. Alii solam irritabilitatem, alii solam sensibilitatem (*b*), alii demum utramque (*c*) vim locum habere posse contendunt. BRUNO (*d*) in incitabilitate ponit vitae omnis fontem & scaturiginem. Ait iterum cl. NOSE (*e*), vim vitalem esse unam, universalem, necessariam, sed incognitam. Quaeritur ergo & disputatur acerrimo animorum motu de vi vitali eiusque natura; neque sciunt opinionum Auctores, & coniecturarum artifices, quaenam illa sit, & quo in loco habenda virtus, aptitudo, an qualitas dicenda videatur. Denique errasse omnes scribit cl. ROESCHLAUB, vitale principium nihil esse, nisi quandam organicae materiae facultatem impressiones externas assumendi & reddendi, vim

(*a*) Untersuch über Pathogenie P. I. p. 119.

(*b*) SCHAEFFER Vertheid. d. Sätze über Sensibil. als Lebensprincip. Frankf. 1795.

(*c*) METZGER über Irritabil. u. Sensibil. als Lebensprincip. Königsb. 1794.

(*d*) Elem. Med. P. I. c. 2. §. 14. p. 3. ed. Mediol.

(*e*) Vid. SCHAEFFERI lib. cit. p. 47.

vero dicendam esse minime, vitam ipsam sine stimulis externis esse & consistere nullo modo posse cet. Quid ergo vita sit, nesciunt omnes, & tamen, quasi recte scirent, decernunt, ut iudices in tribunali sedentes, in fontes vitae paullo ambitiosius inquirunt, visis externis freti, falli nescii; at vero fontes, e quibus hauriunt, certi & satis limpidi sunt, an turbidi, non anquirunt. Delirantibus ergo & suaviter blaterantibus similes mihi esse videntur, cum qui audacter affirmant, tum qui praefracte negant. Nuspiam est, quod studiosissime quaerunt vel ostentant; hinc contortulae conclusiunculae, quas in utraque parte legimus propositas, recte dixeris docta deliramenta, intra quae veritas vix & ne vix quidem consistere possit. Etiam BRUNO scribit, vitam a solis externis stimulis proficisci. Audio, sed scire cupio, unde motus cordis perpetuus sit, quomodo vita perpetuare possit in syncopticis, quibus nullum incitamentum extrinsecus allatum est.

III. *Vires naturae medicatrices.*

Legitur apud vetustissimum Auctorem, HIPPOCRATEM, decretum per secula longe clarissimum, *natura est medica*; hinc posteriori aetate superaddita est alia lex, *Medicus natu-*

rae minister, non dominus. Videbatur eâ naturae vis atque potestas, qua morbos & acutos, & longos, vel sine Medicis, vel cum perversa medicina, sponte ac tuto curat, adeo firma, immutabilis & inconcussa esse, ut Medici Hippocratici sine ea nulli esse vellent, & prudenter applicando ista praecepta vires corporis commode dirigerent, nimias i. e. incitatas minuerent, depressas i. e. debilitatas erigerent, vacillantes sustentarent, eaque via morbos ad bonum exitum ducerent. Quod dum facerent sedulo, neque negligerent aliam regulam vere auream, *medicina* i. e. ars curativa, *est additio vel detractio*, non poterat non veritas decreti Hippocratici continua observationum copia in dies confirmari & in perpetuum stabiliri. Ita demum per longam seculorum seriem nemo, nisi novator, ausus est contra dicere ac negare, quae communi Medicorum opinioni ac experientiae videbantur esse omni exceptione superiora. Ceteri fere exemplis docuerunt, quanta sit harum virium in sanandis morbis potestas. Scripserunt GAUBIUS (*a*), HECKERUS (*b*), WEIDMANN

(*a*) Pathol. Introd. §. 18. & cap. 13.

(*b*) Allgem. Heilkunde §. 600. & Archiv für die allgem. Heilk. B. 2. n. 1. p. 3. seq.

(*a*), WESTHOFEN (*b*) rel. praeſtantiam huius doctrinae, quae ſi rite intelligatur dextreque adhibeatur, falsa eſſe non solet. Ineſt corpori vis nutriendi, vulnera conglutinandi, inutiles & mortuas partes suppuratione tollendi, valetudini adverſa excretionibus spontaneis foras expellendi, febrem excitandi & ipsos morbos longos arcendi cet. Sponte finiuntur morbi graviſſimi, & pro insanabilibus habiti; sponte reſtituuntur aegri desperati & a Medicis deserti; neque recte dixeris, vulnus a Chirurgo curatum, febrem a Medico eſſe persanatam. Nihil enim egerunt in iſthoc opere, niſi quod offensam minuerent, noxam e partibus, ſi fieri poterat, eximerent, vel fomentis mollibus locum incitatum, tensum ac inflammatum laxarent, febrem sanguinis miſſione, refrigerantibus medicamentis & potionibus, alvi lotione rel. frangerent: haec vero artis praeſidia, niſi corpori aegro ineſſet quaedam vis salutaris & provida, pro vanis & irritis habenda forent. Ineſt v. c. cantharidibus poteſtas cutim & fibras aegri ſtimulandi & in-

(*a*) De abusu cauter. candent. ad separand. part. oſſ. mortuas annotatio, Mogunt. 1797. p. 7. cf. De Necros. Oſſium.

(*b*) Ueber die Heilung der Wunden, Mainz 1797.

citandi, humorem serosum alliciendi, vim vitae fessam quasique sopitam refocillandi. At vero nihil valent, si haec ipsa vis paralyticis & morientibus deest. Dantur remedia sudorem cientia; haec vero in imbecillo & moriente homine quidem sudorem cient, sed frigidum, neque iuvant. Quid ergo caussae subest? Deest vis vitalis, quae sola salubrem effectum producere potest. Debet ergo hoc prae ceteris Medico esse propositam, ut vires istas prudenter moderentur, & si sufficiant morbo abigendo magis cunctando, quam temere agendo, incitando & stimulando personam suam tueatur.

At vero istae naturae vires salubres, quas Medici per secula iactitarunt, nullae sunt sub Auctore BRUNONE & qui eius ab partibus stant, qui in cl. ROESCHLAUB (*a*) eam doctrinam absurdam & vanam nominant. Quo iure, equidem non video. Ait enim, non esse quamdam privatam vim, quae morbis medeatur. Ecquis vero veterum & recentiorum Medicorum talia dixit & scripsit, vel auxilium artis procul esse voluit? Hoc enim docent & exemplis ab experientia ductis satis superque probant, vim eam insitam, qua vitae continetur

(*a*) L. c. §. 196. p. 164. seq.

atque sustinetur, in morbis quam maxime conferre ad salubrem exitum, omnemque Medici artem in eo esse positam, ut, quo illa tendat, recte calleat i. e. succurrat, si opus est, auferendo vel addendo. Non ergo assumitur nova vis, quae ante adfuerit a corpore vivo, sed pro loco, & tempore, & effectu, quo ea cernitur, vim vitalem appellant medicam; non est ergo dicenda qualitas occulta, cum sensus ipsos incredulorum feriat & in oculos influat. HIPPOCRATES senex in Aph. scribit, *quo natura vergit, eo ducenda est materia*; tunc vero nihil quidem intelligis, nisi vim eam naturalem & ad certum scopum directam, ut valetudo adversa viribus insitis quam commodissime auferatur, ideoque iubet, ut Medicus, quid factu hoc in casu opus sit, quam diligentissime attendat & coeptam viam prosequatur. Secundum BRUNONEM sola incitabilitate vis sanandi constat, eamque satis perspectam habere debet Medicus, si bene ac apte curare velit. Quid amplius? Sub alio nomine eadem narratur fabula. Morbus a solis externis impressionibus nascatur, nec ne, alia sumptio est. Fac enim, ab re externa sive opportunitate, ut BRUNONIS sectatores dicunt, primordium vitae & morbi fieri, tamen, nisi intus sit quaedam vis, quae recipiat istam impressionem & in actum perducat, morbus

ipse non nascitur. Falsa ergo est conclusio, quae hinc minus bene repetitur; ergo certius argumentum, quo niti possint, anquirendum est. Si qua pars corporis vulnerata & laesa est, fabricam ipsam affectam esse video. Medicum noxam auferre debere, quae viribus internis (innere Wirksamkeit) resistat, hoc equidem perlubenter largior, neque repugno, curationem hac via factam esse beneficio naturae (Lebensverrichtungen) attribuendam. Quid ergo? Nonne dantur vires naturae medicatrices? Auctor contrariae opinionis cl. ROESCHLAUB non habet notionem rei, de qua disputatur, animo satis informatam, quia Medici Hippocratici nolunt eas sumi eo sensu, quo ipse contendit. Ea vis vitae semper inest corpori sano, quatenus actione ac egestionibus naturalibus utitur pro avertenda noxali materia: inest etiam corpori aegro semper actuosa, sed ita, ut primum resistat morbosae incitationi, deinde, augmento virium naturalium dato & resumpto, expellat invisam vitae materiam, & corpus ipsum ad aequilibrium incitationum & virium, i. e. ad sanitatem pristinam perferat. Non ergo caecam quandam vim assumimus, quae sponte agat & peragat omnia in hominum salutem, neque volumus Medicum nihil in morbo curando agere, vel omnia naturae com-

mittenda esse: iubemus potius, ut fracta ossa sint apto loco & positu, & e vulnere sclopetario eximantur aliena; item febris ea moderatione sit, ut nec nimis aucta, nec valde depressa esse videatur. Hoc vero iure nostró quaerimus, unde callus, quem exempli loco nomino, oriatur. Ait Auctor, eum esse habendum pro restitutione imperfecta, quae ab iusto virium vitalium moderamine pendeat. Audio, sed si haec satis vera & usu multo comprobata sunt, non possum non etiam affirmare ac contendere, vires medicas esse certas, non vanas atque irritas: callum ipsum, ut fructum, tulerunt. Dantur etiam casus, in quibus Chirurgus noxam tollere nec potuit, nec voluit, & aeger fato suo relictus brevi restitutus (*a*) est. Sin ergo non dantur vires medicae, sanatio vulnerum longe gravissimorum & periculosissimorum unde demum venerit, scire percupio. Praeceptori optimo, perill. GRUNERO, debeo observationem huc praeclare facientem. Femina laborat ano artificiali, paullo intemperantior, gulae dedita & adeo furiosa; si quid dissuadebatur, quod appetebat, ut vel ipsum maritum renitentem exhereditaret. Non deerat feminae gulosae &

(*a*) Vid. WESTHOFEN l. c.

rixosae potestas nocendi: dimittebantur Medicus & Chirurgus, ut inutiles monitores & morosi homines; aderat idem perversum vivendi genus, quod ante; & nihilo secius sponte sua convaluit aegra; vulnus cicatrice obductum ac clausum est; alvus naturalis reddita. Unde, quaeso, salubris illa rerum commutatio? Nisi corpori aegro insunt vires commodae, quibus vulnus apte glutinatur redditurque sanitas, a miraculo proprius abest curatio. Iam vero Medici, quod Physicorum est, faciunt, i. e. physice explicant eventa medica, & sanationem spontaneam, cuius nulla datur alia explicatio, repetunt a viribus naturae solis, ergo redarguendi nullo modo vel pro stultis habendi sunt, si HIPPOCRATIS auctoritate freti, observationibus omnium seculorum confirmati, dari tales vires statuunt, easque in morbis prudenter dirigendas esse profitentur. Non mehercle vanum est, quod experientia dictat, ratio confirmat. De nomine ac loco disputare, hoc mihi quidem longe vanissimum & ostentationi proximum esse videtur.

OPUSCULUM X.

MEMORABILIA DE PLICA POLONICA

OMNI AEVO OBSERVATA

COMMENTATIO TERTIA

AUCTORE

VALERIANO ALOYSIO BRERA.

SECTIO SEPTIMA.

Morbi caussae.

§. LXXIX.

Qum in naturam morborum endemiorum inquirere conemur, arduum, ac periculosum opus aggredi non est negandum, rati quod olim docuit Medicus summus, & Philosophus insignis MEADIUS „ *caussas remotas aegritudinum non accurate a veteribus fuisse executas* ", Haec certe ratio est, qua nonnulli,

qui iudicium plicae referentes, eam morbum esse denegant, & potius effectum sordidae vivendi rationis, dum plerique ex incolis Poloniae nec capillos comunt, nec aqua caput abluunt. Contrarium vero defendunt Auctores Medici recentiores, qui iure optimo luem Sarmaticam iis affectionibus adnumerandam esse censent, quarum caussas in hunc usque diem minus rite perspectas, & explicatas deprehendimus. Necessarium hinc primo videtur, ut plicae polonicae caussas fictas prius refellantur, quam veras investigare aggrediatur.

§. LXXX.

Nimis generalis mihi videtur SPERLINGII opinio (a), qui pro proximis, immediatisque caussis ad nonnaturalia omnia referre invita experientia intendebat. Aliud enim nos edocet sedula Clinicorum observatio, dum adnotarunt, plicam & divites, & pauperes homines invadere, quamvis aliqui tardius, alii celerius hoc malo afficiantur. Quod vero probabilius evadit, est, veras plicae caussas Poloniae tantummodo inesse, aut regionibus, quorum constitutio cum illa Sarmatiae convenit,

(a) Differt. de Plica Polonica, respondente HINITSCH.

& per contagium serpere per adiacentes Silesiae provincias, aliunde saluberrimas. Iam vero monendum quoque, caussas praedisponentes cum immediatis minime confundendas fore. Ad caussarum indaginem rite consequendam, viam nobis Magnus HIPPOCRATES indicavit sic dicens (*a*): — „ Quicumque Artem medicam „ integre assequi optat, haec faciat, oportet. „ Primo quidem tempore anni rationem habeat, quid unumquodque illorum possit. „ Nulla enim in re similia sunt, sed multum „ differunt, tum ipsa ad invicem, tum in „ propriis permutationibus. Deinde etiam ventos calidos, & frigidos maxime quidem „ omnibus hominibus communes, mox autem „ eos, qui unicuique regionum sunt peculiares. Aquarum item facultates examinare „ convenit; quemadmodum enim gustu differunt, & pondere, sic quoque virtute aliae „ aliis longe praestant. Quare si quis ad urbem sibi incognitam perveniat, circumspicere oportet eius situm, quomodo scilicet „ ad ventos, & solis exortus iaceat. Et haec „ quidem oportet diligenter perscrutari, tum „ quomodo in aquis se habeat: utrum palustribus utatur, & mollibus, an duris; sive

(*a*) Liber de aëre, aquis, & locis.

„ ex sublimi, sive ex saxoso loco scaturien-
„ tibus; sanis item crudisve. Terra etiam
„ ipsa consideranda, nudane sit, & aquis ca-
„ rens, an densa, & aquosa: item an conca-
„ va, & aestuosa, an alta, & frigida. Ho-
„ minum insuper victus ratio perquirenda,
„ an bibaces sint, & otio dediti, an vero
„ exercitiis corporis, & laboribus aliis stu-
„ deant, & edaces, & vini temperantes ". Quibus rite perspectis non insonum erit in duas omnino classes plicae polonicae caussas distribuere, ut melius ipsarum natura, ac indoles elucescant. Ad primam referantur, quae corpus ad morbos asthenicos, & ad plicam praesertim praedisponere possunt: ad alteram, quae data praedispositione morbum faciunt. Singula hinc exponam, Medicorum examini traditura.

§. LXXXI.

Quae corpori humano debilitatem inferunt, ipsum morbis asthenicis praedisponunt. Ex loci, & vivendi generis ratione, & ex morborum per incolas grassantium constitutione eruitur caussarum cohors, quae morbis contagiosis & quidem gravissimis opportunitatem praebet.

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Inter cauffas plicam inducentes a nonnullis sordities, & negligentia capillos pectendi referri solet; etenim ex sudore capitis cohibito capilli fimul conglutinantur, & intricantur; aut ex pilis nimis crispis, & pectine non saepe diductis capillorum compages inexplicabilis efformatur. Verum huic afferto obftat experientia, dum unicuique notum eft, Polonos fere omnes caesariem satis brevem alere, convolutioni minus idoneam. Pariter certum divitibus, imo monachis aeque frequenter hanc effe affectionem, licet ipfi satis sollicite in dividendis capillis, & capite mundando fint occupati. ERNDTELLIUS refert exemplum Ducis cuiusdam bellici, natione quidem Poloni, qui poft longam in Saxonia moram, tandem Posnaniae per paucos annos degens, non obftante omni corporis cura, cui maxime deditus erat, propter sexus sequioris amorem tantam recepit in capite plicam, ut vix peregrino capillitio eam satis contegere potuiffet. Illa capillorum confufio, quae inprimis in foeminis sub morbis diuturnis ex pectendi negligentia subinde exoritur, longe aliam speciem quam plica praesefert, utpote quae magis compacta, & mirum in modum implicata, imo

arctuosa cernitur: haec absque ulla noxa abscinditur; caeterum capillos ad morbos disponit.

§. LXXXIII.

Popularium morborum aliam non agnovit caussam divinus Senex praeter aëris circumfluentis naturam. Huiusmodi aurae malignae, vel a visceribus terrae, vel ab aquarum corruptione, corporum exhalantium admixtione excitata, primam forte morbis endemicis suppeditaverunt originem. Versatilis Poloniae tempestas, nunc humida, nunc frigida, nunc calida hominum corpora pravis praedispositionibus onerans, ad morbos maxime asthenicos suscipiendos apta redit, & iam genitos exasperat. Inter alia legimus, anno 1473. aestu, & ardore Poloniam adeo vexatam fore, ut fluminum alvei arescerent, sylvae saltusque radicitus arderent, segetes squalerent, pecudes & iumenta oblit'; limo cum herba vorato intestinis interirent, incendia quoque urbium, oppidorum crebria existerent (*a*). Nonnulli hinc atmosphaerae peculiari variatiori plicae ortum tribuunt, rati transpirationem abla-

(*a*) NEUGEBAVER Historia rerum Polonicarum; Hannoviae 1618. 4to; pag. 404.

tam ad pilorum conglutinationem multum conferre, dum halitus per porros cutis sub transpiratione excernendi in pilorum radices recepti, nimis illi succum, & nutrimentum suppeditando, unctuosi, & tumefacti se se conglutinent, & convolvant. Huic opinioni itidem refragatur experientia docens, plicam plane ignotam Africae incolis, qui atmosphaera ardenti continuo vexantur. Loca, quae in Polonia, eiusque confiniis ficciora, & calidiora sunt, tot plicosos homines, quam frigido-humida numerant.

§. LXXXIV.

Alii fluviorum aquas accusant ex PLINII testimonio, qui retulit, Germanici Caesaris exercitum ex aquae fontis cuiusdam potu in communem morbum incidisse, a quo intra biennium dentes militibus deciderunt, & morbum Stomacacem, seu scorbutum induxerunt (*a*). BONFILUS, Medicus Italus Cracoviae medicinam faciens, aquam pinguedinis terrae inquinatam pro plicae caussa generali refert: verum oblitus est, in Italia, & praecipue in

V 2

(*a*) Historia naturalis &c.

agro Neapolitano prope Puteolos, & Vesuvium longe copiosiores, & frequentiores dari aquas pinguedinosas, vel sulphureas, & plicam tamen ibi cerni nullam. Priscis temporibus opinatum fuit, revera in Russiae parte, quae Poloniam respicit, ex fluviorum aquis haustis primam originem habuisse plicam; & quum exercitus per illas regiones iter suscipere conarentur, ad fluviorum transitum ponebantur vigiles milites, transeuntibus prohibituri, ne similes aquas sumerent. Tradebatur praeterea, Poloniam fontem exhibere quemdam, cuius aquarum potatio plicam produceret (a). Verum haec omnia supervacanea, imo ridicula evadunt, licet aquae conditio ad morbos avertendos, aut progignendos multum faciat. ERNDTELLIUS ipse concedit, in aquis, & Poloniae alimentis latere aliquid, quod malum foveat; nihilo tamen minus caussam mali ex se efficere nequit.

§. LXXXV.

Cibus & potus simul Polonis plicae praedispositionem inducere quidem possunt. Victus crassus, & liberalis, immoderata ingluvie exae-

(a) VERDUC Pathologie de Chirurgie; Vol. II. pag. 25.

fluans, multis aromatibus conditus nonnullis huius regionis incolis solemnis est. Alii cibo crudo ex leguminibus haud rite praeparatis utuntur; item carnibus, ac piscibus salitis fumo, aut sole induratis, uti & potubus liquorum spirituosorum, & ardentium. His enim ordinaria nutritio turbatur, morbi asthenici exoriuntur, & corpora ad contagia facilius suscipienda disponuntur. Vasculorum extremitatum asthenia excretiones supprimuntur, & solidorum vis enervatur. Sic HOFFMANNUS *qualis cibus, talis chylus; qualis chylus, talis nutritio, talis quoque sanitas*. HYNITZSCHIUS hinc ex cibo, & potu plicam quoque enasci tradit (*a*).

§. LXXXVI.

Alii caussam proximam plicae inducunt ab usu ceparum, allii, olei lini, olivarum, cannabis, & melitorum, utpote quibus Poloni passim delectari solent. Quamvis autem haec mucilaginosa, & unguinosa inter caussas plicae praedisponentes quodammodo referri posse videtur, proximam ipsius caussam minime efficiunt.

(*a*) Differt. de plica polonica; Wittenbergae 1702. pag. 15.

Divites, aliique homines ab harum usu plane se se abstinentes aeque ac pauperes plicae obnoxii existunt: quin, imo praeeunte LEMBKE, qui alliacea in deliciis habent, uti Ruxollani a plica vel plane non infestantur, vel rarissime afficiuntur. Praeterea undenam plica in equis, in canibus, in avibus, qui hoc pabulo non utuntur?

§. LXXXVII.

Item recensenda veniunt vinum forte hungaricum, cerevisia crassa non bene defoecata, aquae non tam sanae, carnium variarum voracitas, in primis assae bubulae, salis aromatum in cibis copia excedens, panis raro bene coctus, paucus vegetabilium coctorum usus, quae alias ad diluendam a carnium abusu chyli visciditatem valde proficua esse solent, ita ut verum sit, quod per Poloniam proverbium dicere solitum est, idest *Polonos ignem vorare, & ignem bibere*. Huiusmodi diaetae abusus incolas multis affectionibus disponit, quae aliis hominibus omnino sunt ignotae.

§. LXXXVIII.

Sola spirituum ardentium copiosior ingurgitatio tanquam plicae caussa non referen-

da, uti aliqui opinantur Auctores: aliis etiam in regionibus tales deprehenduntur heluones, ſtrenuos horum liquorum potatores superantes, qui tamen ab omni plicarum invaſione per totum vitae decursum liberi exiſtunt. E contra LEMBKE aſſerit (*a*), spiritus ardentes potius plicae generationi reſiſtere, quam eamdem promovere. Et revera FISCHERUS (*b*) observavit foeminam quamdam plicosam, quae ubi vinum expeteret, & non ſtatim ipſi exhibebatur, illico eam paroxismus invadebat, qui maximus, atque notatu dignus erat; ſi vero vinum ad ebrietatem usque porrigebatur, tunc dolores obdormiebant.

§. LXXXIX.

Haec omnia huc usque allata ex Poloniae aëre, aqua, & ex incolarum vivendi modo plicam proxime efficere, ratio obſtat; aſt vero corpus ad morbum disponere poſſunt. Videamus nunc, quae de contagio plicoso habuerunt Auctores. Iam dictum fuit, plicam indolem contagiosam quoquomodo oſtendere: dubius nunc oritur, an omnes homines plica affecti eam-

(*a*) Diſſert. de plica polonica; Roſtochii 1739. 4to.
(*b*) Breslaw. Sammlung; anno 1720.; pag. 402.

dem ex contagio sibi contraxerint, an sua sponte hac fuerint correpti? Rectae sane observationes desunt, quae attentione collectae quaestioni satisfacere valeant. LEMBKE affirmativam amplectitur sententiam; etenim observavit, hocce inquinamentum plane peculiaris, & specificae indolis esse, per nulla alia loca, quam per pilos, & ungues exitum inveniens. Et licet passim existant plicosi, qui a nullo unquam contagio tales cirros obtinuisse perhibent, assentiri tamen non valemus absque praevio examine, an non forsan eorumdem parentes ipsis insciis plicam aluerint; vel an non a multis retro annis pectine plicosi alicuius capillos diviserint; vel in aliquo lecto infecto decubuerint; vel novacula, qua plica abrasa, barbam, & capillos tondi curaverint.

§. XC.

Virus plicosum cum aliis eiusdem notae id praebet commune, ut diu in corpore delitescere possit, antequam actionem suam prodat. Notum est, morsum canis rabidi, vel hominis ira furentis haud semper a prima laesione hydrophobiam post se trahere; sed venenum tali modo communicatum per hebdomadas, menses, annum, imo aliquando per plures annos in corpore commorari quietum,

donec a cauſſa quadam occaſionali excitatum, illa horrenda, & exitiosa subinde exitum inferentia symptomata producat.

§. XCI.

Nec argumentum valet, quod in Germania, aliisque regionibus, in quibus plica sporadice observatur hos aeque alios non tam facile inficiat, & e. g. coniugum alter in uno lecto decumbentium raro ab altero huius mali particeps fiat; namque multiplici experientia iam confirmatum, morbos ceteroquin satis contagiosos ſi sporadice ſiſtant, raro in plures deferri, & potius satis benigne se gerere, ut perpauci niſi ex perversa medicatione, vel commiſſis in diaeta erroribus, exinde moriantur. Hoc pariter de plica observatur, quod iſtis in locis, ubi sparſim satis cernitur, longe mitiora, imo vix senſibilia inferat symptomata, quam ubi endemium morem induit. Optimorum itaque Auctorem iudicio, cauſſa vero praedisponens plicae polonicae in rerum non naturalium abusu, ac ſtatu incongruo, & cauſſa immediata, ac efficiens in contagio quaerendae sunt.

§. XCII.

De contagii plicoſi exiſtentia nullum habetur dubium. Poloni divites huius morbi

metu non facile in alterius lecto decumbunt, qui tenet, aut tenere potest caput plicae obnoxium. Familiare hinc est divitibus per Poloniam itinerantibus lectos secum circumvehere, ne in lectos & culcitras incidant plica infectorum.

§. XCIII.

Omnibus hinc rite pensitatis veram plicae originem in contagioso quodam inquinamento inesse, afferunt plerique Scriptores. Cuius vero specificae indolis sit huiusmodi contagium, a priori detegere, & explicare nullus Auctor ausus est. Omnes sat esse afferunt, scire, hoc miasma plicosum cum varioloso, morbilloso, venereo quid commune habere, ut per sanguinem in partes corporis delatum speciem quamdam fermentationis subeat, & obstruendo transpirationis opere, sufflaminando humorum transitu, laedendo nervoso systemate, cute erodendo, cartilaginibus & ossibus, universae animali oeconomiae infestum sit, donec praevia decenti praeparatione, & accedente naturae autocratia, per capillorum emunctoria e corpore eliminetur.

§. XCIV.

Altera vero quaestio extat, quae vero summae attentionis digna videtur. Quaeritur

scilicet caussa, qua hoc miasma constanter pilos petat, reliquis organis secretorio-excretoriis intactis relictis. LEMBKE & hic refert peculiares hypotheses, cuius ope quaestioni satisfacere opinatur. Impuritates post plicosi morbi evolutionem sanguini commixtae per ordinaria emunctoria non deponuntur, aliasque vias ut ut haud familiares, separationi tamen huius specificae materiae conformes, petere conantur. Viscosa, & glutinosa sub plica praesente materia tenacitate eludit poros & ductus organorum seri secretoriorum, & excretoriorum patulos, dum undique se firmius adhaeret, quam ut ab humoribus comitantibus ablui possit; de quo testantur symptomata supra relata, tumores, infarctus, exulcerationes, haud prius tollendi, quam per pilos, & aliquando per ungues exitum invenit. Credibile proinde est, pilorum substantiam huic plicosae materiae magis esse adaequatam. Praeterea praecitatus LEMBKE asseruit, pilos esse spungiosos, iuncis aquaticis aliquomodo aequiparandos, recipiendis hinc humoribus viscosis magis idoneos. Quare concludit, illam plicosam viscositatem per omnium pilorum radices optime exitum proprium invenire, sicque corpus ab ista specifica impuritate liberari. Ungues, quod concernit, opinatur praelaudatus Auctor, eos itidem recipiendae materiae plicosae quodammodo aptos fore, dum ab introitu

que, inquit, hanc materiam esse ipsius activitatis, ut pilis crispaturam inducat, qui exinde se se convolventes, & agglutinati cirrum talem inextricabilem efficiant.

§. XCVI.

Quod vero ad intimam contagii naturam attinet HYNITSCHIUS tradit, certum omnino fore, hic effluvia sane subtilissima locum obtinere, a morboso corpore emissa, quae contactu mutuo viventibus corporibus, vel etiam fomite communicantur. Haec vero effluvia, quamvis subtilissima, & mole minima sint, maximo tamen effectu censenda, quum corpus, quod attingunt, graviter alterent, & morbum similem producant.

§. XCVII.

Ratio, & experientia docent, plicosum miasma per multos annos in corpore humano haerere posse absque ullo sanitatis detrimento (a). Nocet tamen, atque perturbat omnes fere oeconomiae animalis functiones, quando morbosus hicce adparatus in actum fuerit deductus. Coecitatem ex plica observavit NEIFELDIUS: pulmonum affectiones, sensorii

---

(a) Vid. Commentationem secundam; *Observatio decima*.

communis, & internarum cerebri dispositionum alienationes, adnotarunt alii.

§. XCVIII.

Ex relatis videtur veram huius morbi originem admodum incertam fore, plerosque Scriptores magnopere errasse in determinanda huius morbi caussa. Iam vidimus, coelum, aërem, vivendi rationem, & mores Polonorum non caussam morbi proximam constituere; verum in ipsis praedispositionem ad morbum provocare. Et quoniam non omnes stimuli eumdem prorsus in corpore animali non semper edant effectum, sic recte intelligitur, quomodo hic prae illo hunc morbum suscipiat.

§. XCIX.

Ex uberiori caeterum examine constare videtur, plicam polonicam a caussis primordialibus semel enatam per contagium propagari. Restat ut videamus, quomodo contagium plicosum in Polonia exortum sit, quomodo diffundatur, & suscipiatur, quomodo supra corpus agat, suos effectos edat: haec omnia quartae Commentationis argumento erunt.

INDEX OPUSCULORUM

In hoc quarto Volumine recusſorum.

OPUSCULUM VI.

OPUSCULUM VII.

OPUSCULUM VIII.

OPUSCULUM IX.

OPUSCULUM X.

Finis Voluminis IV.